D I D Y M I

TAURINENSIS

LITERATURAE COPTICAE

RUDIMENTUM.





PARMAE

EX REGIO TYPOGRAPHAEO

M. DCC. LXXXIII.

CUM APPROBATIONE.



LVDOVICO . DVTENS

BRITANNO

REGIAE . LONDINENSIS . SOCIETATIS

ET . PARISINAE . POLITIORVM . LITERARVM

ATQVE . INSCRIPTIONVM . ACADEMIAE . SODALI

RECONDITIORIS . ANTIQVITATIS . DOCTRINA

EDITISQVE . DE . EA . LIBRIS

VBIVIS . GENTIVM . CONSPICVO

HAEC . LINGVAE . AEGYPTIACAE . PRIMORDIA

A . NOBILISSIMO . AC . SVPRA . FIDEM . DOCTISSIMO

ABBATE . THOMA . VALPERGA

A . CALVSIO

DESCRIPTA . ATQVE . EXPLICATA .

IOHANNES . BAPTISTA . BODONIVS

HISPANIARVM . REGIS . CATHOLICI . TYPOGRAPHVS

REGIIQVE . PARMENSIS . TYPOGRAPHAEI

PRAEFECTVS

AD . EXEMPLAR . SIBI . AB . AVCTORE . CONTRADITVM

IN . LVCEM . DEPROMIT . ET . NVNCVPAT

LIBENS . VOLENS .

INDEX.

CORRIGENDA.

Pag.	*linea*		*lege*
25	6	ⲉ̀ⲧⲛⲁⲁ̀ⲙⲟⲛⲓ	ⲉ̀ⲑⲛⲁⲁ̀ⲙⲟⲛⲓ
42	4	ϫⲓⲁⲛϫⲓⲁ	ϫⲁⲛϫⲓⲁ
47	15	ἀϥχάλι	ἀϥϥάλη
49	11	Uⲉⲗϫⲓⲥⲉⲁⲛⲕ	Uⲉⲗϫⲓⲥⲉⲁⲉⲕ
50	6	ⲯⲟⲛⲧⲱⲙ	ⲯⲟⲛⲑⲱⲙ
55	20	ⲙⲁϯϩⲧⲏⲕ	ⲙⲁϯϩⲑⲏⲕ
—	21	ⲁϥϫϥⲉ	ⲁϥϫⲫⲉ
58	16	ⲉ̀ⲑ̄ⲃ	ⲉ̀ⲑ̄ⲩ
97	14	velut	vel
89	ult. Post *me* adde *h. e. tutela sedula serva me.*		
116	5	B	ⲃ



Caetera Lector ipse emendet, rogo, atque ignoscat, ea in primis, quae de accentibus pag. 54 traduntur minus recte; quandoquidem in Mss. nunc accentus, nunc linea horizontalis, nunc punctum frequens est super quasdam literas, maxime super ɪ, quorum haud expeditior ratio est, quam varietatis universae in usu signorum hujusmodi apud nos atque apud Gallos. Nihil autem vidi Coptica scriptum manu, nisi opere jam Parmam dimisso cum a. 1782 Majo ad finem jam vergente J. G. C. Adler hac transiit spoliis Orientis onustus. Quem ego adolescentem suspexi adeo, ut rogatus in libello ejus memoriali extemporale hoc scripserim epigramma

Μνημόσυνον Δίδυμος τόδε Ταυρίνοιο πολίτης
Ασμενος Αδλήρῳ γράψε φιλοφροσύνης,
Αντολίης ἐ' λόγοισι κεκασμένον ὅς γε τέθηπε,
Καλοῖς τ' ἀρχάιων ἤθεσιν ἠίθεον.

T. V. A. C.

LECTORI PHILOLOGO S.

Literas Orientales jacentes misere in plerâque Italiâ duo nunc Subalpini in primis excitant; quorum alter doctrinâ et lautissimâ librorum veterum supellectile [1] id est consecutus, ut aetas haec nostra, cum tot habeat Aristarchos, ab eo uno varietatem lectionis Hebraicae Verborum Dei, veritatemque expectet optime constitutam; alter exculptis elegantissime linguarum fere omnium characteribus,

(1) Mirificam prorsus copiam ejus manuscriptorum et editionum quantivis pretii, ad Hebraicas praesertim, sacrasque literas pertinentium, tres nunc anni sunt cum ipse oculis usurpavi: et hoc triennio plurimum auctam scio. Quae autem nunc et quanta sit, docebit ipse dominus edendo propediem suo *Apparatu Hebraeo-biblico*.

quorum specimina edidit luculenta [1], non modo praestat, ut possis, sed allicit, ut cupias aliquid exoticum vulgare formis adeo nitidis commendatum. His itaque duobus viris, quos Parmae bono literarum fortuna conjunxit, Jo: Bernardo De-Rossi, et Jo: Bapt. Bodonio debes, amice Lector, quidquid hoc opellae est, quam scripsi, ut cum *Alphabetis* excuderetur, quae magno numero typis Bodonianis editurus erat cl. De-Rossi, nisi longe praestantioribus avocatus inceptis curas ille omnes et vigilias contulisset ad varias lectiones Veteris Testa-

(1) Vide *Pel solenne Battesimo di S. A. R. Ludovico Principe Primogenito di Parma, tenuto al sacro Fonte da S. M. Cristianissima e dalla Real Principessa delle Asturie, Iscrizioni esotiche a caratteri novellamente incisi e fusi. Parma 1774. Epithalamia Exoticis Linguis reddita. Parmae 1775*; et *Specimen ineditae et hexaplaris Bibliorum versionis Syro-estranghelae cum simplici atque utriusque fontibus Graeco et Hebraeo collatae cum duplici lat. vers. ac notis. Parmae 1778*.

menti congerendas undique et illustrandas. Atque equidem postquam ex ejus literis cognovi consilium hominis, adeoque nullam ejus nunc certe futuram Syllogen Alphabetorum, dubitavi aliquandiu Copticumne meum prodire in conspectum sinerem solum destitutumque praesidio sperati honestissimi comitatus. Sed ut emitterem, ipsius perpulit auctoritas, quem certum aeque amicum habeo, atque horum studiorum aestimatorem et judicem. Ac revera quamquam exilis argumenti lucubratio est, non inutilis tamen ea videtur extitura, non modo ut ad plures perveniat notitia aliqua sermonis Aegyptiaci, sed ideo vel maxime, ut hujus elementa inchoëntur praeceptis verioribus. Erravit enim interdum, quod humanum est, qui primus has literas attigit, Kircherus; neque ejus graviora aliquot errata,

qui postremus Romae docuit, Tukius emendavit. Quae quamquam fortasse jam pleraque sunt ab aliis animadversa, rectiora tamen certe non satis adhuc sunt vulgata; sive quod in eruditorum hominum lateant ineditis commentariis, sive quod libris prodita sint apud nos haud facile reperiendis, sive tandem quod auctores eos quidem habeant, qui in manibus versentur omnium, sed iis locis, ubi minime suspiceris. Nam equidem non diligentissime fateor, sed nec plane incuriose quaesivi frustra. Quare nostro hoc rudimento vulgando aliquid videtur commodi Philologis comparatum iri. Idem autem cl. De-Rossi monuit, ut cujus linguae primam literaturam traderem, quae legendi praeceptis propemodum continetur, ejusdem historiam in praefatione saltem leviter delibarem.

Itaque ab ejus antiquitate initium facio; non ut iterem dicta exordio ipsius opellae, sed ut sententiam amplius explicem de duabus Coptorum dialectis; quid spectaverim cum Memphiticam potiorem habui, et quasi majorem natu. Equidem utramque antiquiorem arbitror ipsâ linguâ Copticâ. Neque enim Copticus appellatur vetustissimus Aegypti sermo incorruptus; neque adeo ante Cares, Jonesque a Psammitico sedibus praediisque donatos initium aliquod linguae Copticae possumus comminisci. Contra discrimen, quod nunc est, dialectorum Saidicae et Memphiticae in vocibus ductis a primo Aegyptio sermone, puto equidem a discrimine repetendum, quod inter idiomata superioris Aegypti atque inferioris longe ante Psammiticum intercesserit. Quare hoc tantum autumo, dialectum

Memphiticam eam esse, quae prior ex purâ priscâ Aegyptiâ eatenus est mutata, ut evaserit, quam Copticam nuncupamus. Ubi enim frequentia Graecorum multo fuit et antiquior et major, in Aegypto inferiore, ibi primum indigenas Graecissasse quis dubitet? quae Coptici sermonis origo est. Illud autem minime consequitur, ut ubi primordia ceperit lingua nova, ibi veteris major facta corruptio sit. Ego eam dialectum a primaevi puritate sermonis longius recessisse arbitror, quae visa mihi saepius est origines obscurare et analogiam. Itaque negavi Saidicam habendam veteri propiorem. Sed brevitati studens monere neglexi non idem universe de omnibus unius dialecti monumentis sentiendum, cum non ejusdem omnia sint aevi, nec loci, neque eruditionis. Fragmentum ex Actis Sancti Coluthi

Saidicum antiquius [1] mihi videtur ac purius, quam pleraque dialecti ejusdem apud Tukium exempla sumpta ab interpretibus divini Codicis. Itidem extare aliquid antiquius etiam omni Memphiticâ Bibliorum Interpretatione quid vetat? Ego hanc tantum aio et veterem admodum, et Thebaidensi magnam certe partem cum aetate, tum puritate praestantiorem. Sed cetera persequamur.

Ac de nominis origine recte Renaudotius [2] monet declinatum non esse a Copto, celebri Thebaidis emporio, cujus cives et accolae Coptitae (Κοπ-

(1) *Fragmentum Copticum ex Actis S. Coluthi Martyris erutum ex membranis vetustissimis seculi V ac latine redditum, quod nunc primum in lucem profert ex museo suo Stephanus Borgia a Secretis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide. Romae, typis Sac. Congr. de Propag. Fide a. 1781.* in-8.°

(2) *Liturgiarum Orient.* tom. I pag. cxv. Sed inde a pag. cxiiI legi velim totam viri doctissimi dissertationem de linguâ Copticâ.

τῖται, et Κοπλῖται), atque oppidum Arabibus قفط, קפט. Nam aliâ literâ mediâ iisdem قبط (*Kebton* קבט) Copti sunt, ut قبطيّ, قبطيّة (*Kibtijon*, *Kibtijaton*) Aegyptius, Aegyptia. Quibus in vocibus nominis Αἰγύπτου mutatum γ in ق, π in ب, et amissum αι. Sic Thalmudicis גיפטית lingua Coptica, Aethiopibus ግብጽ, גִבְץ Aegyptus appellata. Neque prima syllaba ad originem pertinet vocabuli, si credimus Perizonio (1), cui γὺψ, *vultur*, idem αἴγυψ, αἰγυπιὸς, interpositâ literâ τ, ut solet post π, fit Αἴγυπτος, Αἰγύπτιος. Sed altius liceat ordiri.

Aegyptus haud dubie est terra Cham (חם, حام) Coptis Ⲭⲏⲙⲓ dicta, et Plutarcho Χημία. Est autem חם *calens*, *adustus*, atque adeo *fu-*

(1) *Aegyptiarum originum* cap. I edit. Trajecti ad Rhenum a. 1736 pag. 15.

scus, *niger*, Coptice Ⲭⲁⲙⲏ, ut חום Geneseos xxx plus semel est φαιὸς, ejus plane coloris, qui Arabibus ٱلْكُمْتَة. Nam חום et חמם, communicatâ significatione, quemadmodum حَمَّ, حَمِيَ, vel etiam حَمَأ, et حَامَ mediâ *vau*, non modo calescendi, sed et nigredinis notionem habent. Jam Coptis ϫⲉⲃⲥ, ϫⲏⲃⲥ (*gebs*, *gibs*) carbo est, qui Arabibus حمم, חמם. Videtur igitur idem primitus fuisse ϫⲏⲃⲥ et חם, atque inde ⲅⲩⲡⲥ, γὺψ nomen et Aegypto inventum et vulturi. Cui conjecturae favet ϫⲏⲃϩⲃⲟⲩⲓ̀, contractum fortasse ex ϫⲏⲃⲥϩⲃⲏⲟⲩⲓ̀, plurale collectivum, quod Wilkinsius vertit *accipitrem* (Deuter. xiv, 17) respondet enim Graeco *ἱέρακα*; vulturis autem species haberi potest collato, cui respondet, Hebraeo רחמה. Hebraeis enim רחם, רחמה, ut Arabibus رَخَم, رَخَمَة, ales vulturini ge-

neris est prope Memphim nobilis, Bocharto [1] sic dicta a φιλοστοργίᾳ, cujus apud Aegyptios vultur symbolum. Γὺψ, et ἱέραξ aves diversae, fateor, sunt. Sed cum apud Ammianum (xvII, iv) lego *per vulturem* Aegyptios *Naturae vocabulum* pandere, quos alii passim testantur accipitris imagine significasse Divinitatem et Solem, cumque Strabonis verba perpendo lib. vII ὄρνεον καλοῦσι μὲν ἱέρακα, οὐδὲν δὲ ὅμοιον ἔμοι γε ἐφαίνετο ἔχειν τοῖς παρ' ἡμῖν καὶ ἐν Αἰγύπτῳ ἱέραξι, *avem vocant accipitrem, sed ni-*

(1) Hierozoic. P. II L. II c. 26 et confer J. D. Michaëlis *Questions proposées à une Société de Savans, qui par ordre de S. M. Danoise font le voyage d'Arabie* quaest. 100 pag 407 editionis *Francfort sur le Main 1763*. Is diserte רחם vulturem esse autumat, sed cujus effigiem sub nomine *percnopteri* Gesnerus exhibeat. Quare eadem fortasse avis est, quae Solis erat symbolum, accipiter πολύμορφος Anticlidi vocatus, quemque Strabo testatur τῇ ποικιλίᾳ πολὺ ἐξηλλαγμένον, *mirifice variegatum*.

hil simile visa mihi habere est nostris accipitribus et Aegyptiis; cum haec inquam reputo, veri admodum simile mihi fit unam eandemque avem esse, quae ϫⲏⲃⲥ, γὺψ ab antiquis Nili accolis fuerit appellata, vultur ab Ammiano, accipiter a plerisque; adhibitam autem ejus figuram Divinitati et Naturae indicandae vel ideo quod ipso alitis nomine solum natale, et auctor generis Chamus ad memoriam revocaretur. Sed hae conjecturae sunt. Illa certiora: חם, Ⲭⲁⲙⲏ fuscum nigrumque notare, et a nigredine Plutarcho teste [1] vocatam Ⲭⲏⲙⲓ Aegyptum *ἐν τοῖς μάλιστα μελάγγειον οὖσαν*, quodque Perizonius animadvertit, *αἰγύπτιον* Graeco sermone usurpari pro nigro, aut subvulturio, *αἰγυπτιάσαι* pro *ἐπικαῦσαι*.

---

(1) *De Iside et Osiride* §. 33.

Neque tamen si cui minus haec probentur, obnitar. Undecumque enim ortum Aegypti nomen fuerit, ex hoc aio ductum قبط, unde *kebt* Arabibus, Copti nobis Christiani Aegyptii audiunt. Etenim postquam asseclae Muhammedis, anno post ejus obitum octavo, Aegypto sunt potiti, indigenae, qui sacra avita retinerent, quasi gens alia ab Aegyptiis, qui Muhammedi haberent fidem, erant etiam appellatione discriminandi; cumque antiquâ Arabum voce, eâdemque Hebraicâ, Aegyptius مصري vocaretur, adhiberi appellatio haec magis coepit de Aegyptiis Arabicae originis, linguae, credulitatis; Graecum nomen Arabicâ pronunciatione corruptum de Christianis plerumque usurpatum. Nec de omnibus peraeque; sed de his maxime ac peculiariter, qui proprie nobis Copti sunt. Nam inde a Dioscoro,

Monophysitarum secundum Eutychen principe, scissa Ecclesia Alexandrina duos etiam nunc Patriarchas habet, Cairi plerumque sedentes, alterum Graecum, non gente, sed sacris, et schismate Photiano, perexigui antistitem coetus, alterum Coptum, longe majoris Ecclesiae caput, quae decem praeterea Episcopos in Aegypto habet, in Abissiniâ duos, unum Hierosolymis, quaeque una merito vocata Aegyptia est, non ideo modo, quod plerosque complectitur, qui Christiano censentur nomine in Aegypto, sed multo etiam magis quod sermonem Aegyptiacum in caerimonias precesque publicas una induxit olim, servatque ad hodiernam diem. Haec igitur Ecclesia Coptica quasi *Gyptica* est nuncupata; quamquam sunt, qui Coptos quasi *Cobitas* dictos putent, contracto nomine pro Jacobitis; quod

in eâ censentur Haeresi, quam Baradeus ille Jacobus Edessae Episcopus medio Ecclesiae sexto seculo dissidiis debilitatam defectamque propemodum, peragratâ atque incensâ latissime Asiâ Christianâ, restituit et amplificavit.

Sed de nomine jam nimis multa. De Coptorum eruditione, seu barbarie potius, quae nunc est, ac disciplinarum omnium et ipsius linguae Copticae inscitiâ nihil attinet dicere. Sub Ptolemaeis, ac prioribus post Christum seculis quamquam in Aegypto doctissimus quisque instructus magis Graecorum literis erat ac sapientiâ, quam veterum Aegyptiorum, aliquis tamen cultus etiam adhibitus patrio sermoni, qualis tunc in ore vulgi erat, et cultiorum etiam in pagis atque in Aegypto interiore. Ac primo in ejus gratiam adscita scriptura haec, quam nos Copticam dicimus,

eadem opinor, quam Clemens Alexandrinus [1] ἐπιστολογραφικὴν, Diodorus vocat δημώδη, *popularem*, cum alia esset minime vulganda, ἱερὰ, et ἱερατικὴ, arcana sacerdotum, praeter vetustissimam ἱερογλυφικὴν, quae figuris non elementa singulis singula, sed verba, atque interdum sententias integras referebat. Deinde non modo epistolae, sed libri coepti sunt scribi Coptice, quo primum tempore nemo dixerit; tantum scimus a Christianis id maxime factitatum.

Atque jam tertio post Christum seculo Biblia, quae vocantur, extitisse magnam certe partem Coptice conversa, probabilibus argumentis Wilkinsius [2] ostendit. Quamquam affirmare

---

(1) *Stromatum* V, IV quem vide, ac Diodorum Siculum *Biblioth. Historicae* lib. III.

(2) *Prolegomen. in N. T.* cap. I pag. 5. Quod autem objicit Jo. Aug. Ernesti (*Interpretis N. T. II*

non ausim patrem Monachorum Antonium eandem hanc versavisse manu interpretationem Memphiticam, cujus habemus jam typis expressos (1) libros Novi Foederis omnes, ac Veteris Pen-

---

iv 6) Coptica Evangelia ad Eusebii canones distincta esse, et in Epistolis *στίχους* numerari, quod seculum v redolet, id bonâ cum veniâ criticorum facile principis, plane nihil est. Cum enim non quinto modo, sed septimo adhuc seculo Alexandriae vel vulgus Graece sciret, neque totâ Aegypto eruditio ulla emineret nisi Graeca, mirum sane foret si quas distinctiones divini Codicis utilitas persuasit toti Graeciae, eas Aegyptus cum ignorare non posset, neglexisset tamen obstinate in versionibus, quas antiquas haberet. Quasi vero non sit contextus, quem Graeci diviserunt, antiquior.

(1) Adscribam titulos: *Novum Testamentum Aegyptium, vulgo Copticum. Ex Mss. Bodlejanis descripsit, cum Vaticanis et Parisiensibus contulit, et in Latinum sermonem convertit David Wilkins Ecclesiae Anglicanae Presbyter. Oxonii 1716* in-4.° *Quinque libri Moysis Prophetae in linguâ Aegyptiâ. Ex Mss. Vaticano, Parisiensi, et Bodlejano descripsit ac Latine vertit David Wilkins S. T. P. Londini 1731.* in-4.° Psalterii editio prima cum interpretatione Latinâ est Theodori Petraei, Lugd. Batav. a. 1663 in-4.° Sine versione Latinâ prodiit typis S. C. de Propag. Fide *Psalterium Alexandrinum Copto-Arabicum. Romae a. 1749* in-4.°

tateuchum, et Psalmos, tum reliquorum particulas satis multas in Liturgicis voluminibus, atque in Tukii rudimentis, ubi pleraeque etiam Saidice exhibentur. Et Memphitice prodibunt fortasse aliquando Biblia integra: quorum interim quaedam adhuc inedita volumina vel fragmenta dialecto alterutrâ propediem expectamus a viris doctissimis Augustino Antonio Georgi [1], Christ. Guilelmo Woide

(1) Procurator hic Generalis, decusque Augustinianae Eremitarum Familiae Danielem et Prophetas minores editioni parat, atque interea vulgabit fragmentum Graeco-Copticum Evangelii S. Joannis, cujus variae lectiones ab Andrea Christ. Hwiid communicatae Jo. Davidi Michaëlis, in hujus Orientali Bibliotheca excusae, Germanis jam innotuerunt. Cl. Woide promissa nunc quidem fortasse jam vulgavit *Fragmenta N. T. secundum interpretationem Superioris Aegypti, quae Sahidica appellatur.... Oxonii typis Academicis*. Quam interpretationem secundi seculi Woidius autumat, summamque fragmentorum ejus tertiam circiter partem exhibere Novi Testamenti. Adlerus Jobi librum aut fragmenta descripsit e Mss. Borgianis, editurus, ut spero quam primum.

et Jac. Georg. Adlero. Et jam sunt in bibliothecis Europae libri aliquot alii V. T. Coptice interpretati [1]. Ceteros existere plerosque omnes credibile est in Aegypti monasteriis. Neque enim facile complura neglexerit scripta divinitus eorum pietas [2], qui reliquis Christianorum libris convertendis consultum voluerunt Aegyptiacae Ecclesiae, ut suâ posset linguâ contenta esse.

Sed partem fortasse nos adhuc exiguam novimus codicum superstitum

(1) Parisiis in Bibliotheca Regia N.° 11 A est Prophetia Ezechielis Coptice et Arabice; ut de Daniele nihil dicam, qui cum Prophetis xII minoribus invenitur in codicibus nescio quot.

(2) Anachoretas deserta Aegypti incolentes anno Christiano circiter 336 sedulam navasse operam vertendis libris divinis, atque in Thebaide, totâque Aegypto eo aevo incensa admodum Sacrarum literarum studia increbuisse colligitur ex Nicephoro, et ex Coptorum Martyrologio Arabico Ms. Collegii Maronitarum Romae. Tunc itaque credibile est non modo coeptam versionem Bibliorum Thebaidensem, sed Memphiticae partem reliquam, adhuc tum fortasse majorem, confectam.

Aegyptiorum, et praeter Ecclesiasticos et Grammaticos vix unum atque alterum Gnosticum et Valentinianum(1). Quare de profana eruditione, an item literis Copticis fuerit antiquitus illustrata, difficilior conjectura est. Etenim quam Kircherus exhibet Synopsin librorum, qui in celebrioribus Aegypti bibliothecis, vulgo *Madrase* adhuc supersint, eam equidem crediderim recensionem potius capitum libri unius, quo notitia quaedam rerum omnium atque nomenclatura brevissime traditur: cujusmodi librum alium Coptice atque Arabice scriptum recenset Hottingerus *Biblioth. Orient.*

(1) Codex N.° 393 Biblioth. Bodleianae Oxonii disputationem Sahidicam ex disciplinâ Gnosticâ exhibet *De literis Graecis* etc. Alter autem, isque Valentinianae doctrinae liber Oxonii item extat apud cl. Askew. Hunc Sahidicorum codicum, quos viderit, vetustissimum censet Woidius, quo interprete libri titulus est: *Tomus secundus Fidelis Sapientiae* constans paginis 350 in-4.°.

pag. 314. Cairi certe nulla nunc omnino copia librorum Copticorum est praeter eos, quorum in sacris usus, vel in Copticâ linguâ addiscendâ [1]; quam nihilo minus ne sacerdotes quidem Copti plerique intelligunt.

Apud nos autem ejus inchoata notitia est ab Athanasio Kirchero, qui anno 1636 *Prodromum Coptum* Romae edidit, et post septennium *Linguam Aegyptiacam restitutam*: laudandus, quod primus; quamquam ut sua ipsi errata ignoscerentur neque modestiâ, neque diligentiâ promeruit. Post eum J. H. Hottingerus [2], Theo-

(1) Vide annotationem ex Forskalo allitam paginis 78–81 Niebuhri *Description de l'Arabie. Copenague 1773*, et Ultrajecti 1774. Ubi verba etiam Niebuhri legi velim a pag. 75; quamquam quaedam non satis recte tradit. Sed hi recentissimi eruditorum sunt, qui Coptos inviserint, et quaedam nos docent non inutilia Coptorum ingeniis fabulisque cognoscendis, quae alibi frustra quaeras.

(2) Psalmi I versus 1 et 2 Coptice et Latine ex editione Hottingeri prodierunt in-4.° Heidelbergae

dorus Petraeus, Tho. Mareshallus, et Ludovicus Pickius commemorandi sunt, qui vel aliquid vulgarunt Coptice, vel Novi Testamenti Copticam interpretationem contulerunt cum Graeco textu non indiligenter (1). Praete-

---

a. 1660, et ejus Bibliothecae Orientalis ibidem editae a. 1658 caput v de libris Copticis est. Theod. Petraeus Aegyptum ipsam invisit, unde Copticos libros attulit. Cujus laborum et Copticae eruditionis fructus longe uberiores Europa percepisset, si minus doctrina hominis fuisset opibus et pecuniâ destituta. Ejus Psalterium in aliâ annotatione commemoravi editum a. 1663. Ceterum videsis cl. Woide *Mémoire sur le Dictionnaire Cophte, qu'il va publier à Oxford, et sur les Savans, qui ont étudié la Langue Cophte* in Gallica Ephemeride, cujus titulus *Journal des Savans pour l'année 1774* pag. 333 edit. in-4.° et edit. in-8.° pag. 993. Cum ex hoc Woidii commentario hauserim complura ad historiam literariam Copticam pertinentia, indicasse fontem sufficiat semel.

(1) Varietas lectionis N. T. Coptici a Mareshallio et Pickio observata, a Millio annotata suis locis est in celeberrimâ N. T. editione Oxonii a. 1707, cujus vide Prolegom. n.° 1406 et 1508. Laudavi hominum diligentiam, quamquam non me fugit peccatum non numquam ab ipsis esse, ut cum Matth. I 20 annotatum non est pro ἐφάνη ἀυτῷ haberi *osten-*

reo Thomam Eduardum, Eduardum Bernardum, Jo: Michaelem Wansleben, Relandum, Chamberlayne, Pfeifferum, Renaudotium, Henselium, Ortelium, atque alios complures, quibus literae Copticae non nihil debent. Sed minime silentio mihi praetermittendus Guilelmus Bonjour Eremita Augustinianus Tolosas, cujus lucubrationes Bibliotheca Angelica Romae habet. Nam et elementa linguae Copticae absolverat, et Oseam grammatice explicatum, et Pentateuchi meditabatur editionem, cum fructus inge-

dit se Josepho, cum contra cap. II 17 falso perhibeatur deesse λέγοντος. Sed praeter quam quod interdum fortasse codices a Mareshallo et Pickio collati aliter habebant atque editum a Wilkinsio est, universe, ubi plura nitent, non ego paucis offendor maculis. De Pickio Doctore Sorbonico (*M. Piques*) addam ei praeterea nos debere quaedam conversa ex Coptico in libro *De la perpetuité de la Foi*, et in Liturgiis. Mareshallus tria capita Matthaei Coptice cum versione edidit et observationibus, Millio teste, loco citato.

nii studiique haud vulgaris iter Sinicum Evangelii causa susceptum intercepit. Itaque a nemine praecipua laus bene meritorum de literis Copticis Davidi Wilkinsio praerepta est. Nam qui *Fundamenta Linguae* cum analysi grammaticâ Orationis Dominicae prodidit anno eodem 1716, quo Wilkinsius Novum Testamentum, Christian. Gottl. Blumbergius haud magnam inivit gratiam a philologis, credo, quod tradenda suscepisset, quae ipse non satis sciret. Wilkinsius autem et ipse Grammaticam ac Dictionarium Copto-latinum concinnavit, editurus, si Mecoenatem nactus esset, quemadmodum et Psalterium et Danielem cum xII Prophetis minoribus (1); et quae vulgavit nitidissimis typis, quamquam erratis non carent, qui tamen fas esse

(1) Vide quae in extremâ Praefatione Pentateuchi Wilkinsius memorat a. 1731.

meminerit opere in longo somnum obrepere, fatebitur non omnino oscitanter, neque imperite admodum emendasse. Si qua ejus peccata digna veniâ minus sunt, ea sunt interpretationis Latinae, quae praepropere saepius videtur non ab Aegyptio profecta, sed a Graeco, aliove textu, qui vertentis oculis aut memoriae obversaretur. Nam, ut hoc utar, cum Apocal. I. 11 vertit *Ea, quae videris, scribe*, ignorare certe non poterat ⲛⲏ ⲉ̀ⲧⲉⲕⲛⲁⲥⲟⲑⲙⲟⲩ *quae audieris*, non quae videris, significare. Item procul dubio non ex Copto, sed ex aliis textibus ductum, quod habet Genes. IV 13 *peccatum meum majus quam ut mihi remittatur* pro ⲡⲁⲛⲟⲃⲓ ⲟⲩⲛⲓϣϯ ⲡⲉ: ϫⲁϥ ⲛⲏⲓ ⲉ̀ⲃⲟⲗ ⁘ *peccatum meum magnum est; remitte ipsum mihi*. Itaque inutilis ejus interpretatio est hominibus Coptice nescientibus, qui

lectiones varias Verbi Dei in antiquis versionibus aucupantur. Coptici contextus menda pleraque vel sine manuscriptorum auxilio possunt emendari, ut Matth. II 6 ⲫⲏ ⲉⲑⲛⲁⲁ̀ⲙⲟⲛⲓ, pro quo legendum ⲫⲏ ⲉ̀ⲧⲛⲁⲁ̀ⲙⲟⲛⲓ, et III 15 ⲁϥϫⲁϥ, pro quo ⲁϥϪⲁϥ, etc.

Interea Maturinus Veyssiere de La-Croze ad has literas animum appulit, quas non ita multo post ab ipso didicit Paulus Ernestus Jablonski, a quo Scholtzius hujus levir. Ac Jablonskius veterem Aegyptiorum Theologiam erudite admodum in *Pantheo* illustravit, admotâ saepius face literaturae Copticae, quâ lumen aliquod etiam attulit Hebraicae Philologiae [1].

(1) Editae sunt ejus Dissertationes Academicae *De Terrâ Gossen. Francofurti ad Viadrum a.* 1736, et *Pantheon Aegyptiacum* tribus partibus ab a. 1750 ad 1752. Ejusdem *Remphah Aegyptiorum Deus* extat in *Thesauro Antiqu. Sacr. Ugolini* tom. XXIII pag. 571.

Quid La-Crozius, quid Scholtzius praestiterint, indicio tantum alieno scio. Neque enim illius *Thesaurum Epistolicum* videre contigit, neque dissertationem a Chamberlayne [1], aut praefationem publici juris factam a Noltenio, neque opus studiosis linguae Copticae longe omnium utilissimum, ac mihi jamdiu expectatum frustra, fato quodam averso, opinor, magis quam ejus negligentiâ, qui recepit se mihi ex Anglia curaturum. Oxonii enim prodiit an. 1775 La-Crozii Lexicon Aegyptiacum a Scholtzio contractum atque ab editore cl. Woide multis vocibus auctum, cujus in volumine altero, nescio quo anno, editam etiam credo Scholtzii Grammaticam utriusque dialecti.

---

(1) Chamberlayni liber, ubi dissertatio La-Crozii, prodiit Amstelodami a. 1715 in-4.° Praefatio La-Crozii a Noltenio edita est in *Bibliothecâ Bremensi*.

Itaque strata nunc tandem ac munita via est, quae fuit unicuique hactenus suopte sibi labore ac studio aperienda. Qui vero primum jam tirocinium posuerit linguae Copticae, is utiliter poterit ejus *Rudimenta* versare edita Romae an. 1778, quae Coptus Digergensis Raphaël Tuki, Arsenovensis Episcopus consuit potius quam concinnavit. Nulla enim praeceptorum ejus lux, neque ordo; sed copia ingens exemplorum, aut verius locorum ab eo congesta occasione arreptâ vocis alicujus, de quâ monerent quidpiam commentarii Coptorum grammatici Arabice scripti, quos compilabat. Quae quidem loca, uno atque altero excepto, Biblica omnia, quoniam utrâque dialecto plerumque Tukius exhibet, operae sane pretium fecit maximum, ut adeo gratias equidem habeam ei, quicumque est, qui S. Congr. de Prop.

Fide cum esset constitutum alterutram vulgare Grammaticam Bonjourii aut Tukii, ut hanc haberet priorem persuasit. Quamquam enim illa Bonjourii minus mala non esse nequit, quamquam optima fortasse est, eâ tamen orbis eruditus carere facilius poterat, quam libro, qui facultatem cunctis primus fecit cognoscendae dialecti Thebanensis. Atque utinam in eo saltem textus Aegyptiaci non tot mendis essent inquinati, ut, nisi quod saepius occurrat, nihil satis certum discere inde possis.

Omnino enim editio non videtur curata ab homine Coptice ac Latine vel mediocriter docto. Indicio sit locus omnium maxime animadvertendus propterea quod post verba *Et dixit Jeremias Paschoro*, ei nempe, qui Vulgato est Phassur, pluscula refert, quae in Jeremia frustra quaeras, cum alia, tum quae apud Matth. xxvII

9, 10 de triginta argenteis pretio Christi, quo emptus ager est figuli, ducta creduntur ex Zacharia xI 12, 13, ut adeo nonnulli memoria lapsum putaverint Evangelistam, qui ad Jeremiam provocet. Utrâque igitur Coptorum dialecto Jeremias nunc quidem habet versus a Matthaeo memoratos, post quos Memphiticum fragmentum apud Tukium pergit pag. 296 ⲟⲩⲟϩ ⲡⲁⲓⲣⲏϯ ϯⲛⲁⲥⲁϫⲓ ⲥⲉⲛⲁⲓ̀ (legerim ⲉⲑⲛⲁⲓ̀) ⲉϩⲣⲏⲓ ⲉ̀ϫⲱⲟⲩ ⲛ̀ϫⲉ ⲟⲩϩⲁⲡ ⲉ̀ⲧⲉ ⲛ̀ⲧⲁⲕⲟ ϣⲁ ⲉ̀ⲛⲉϩ : ⲛⲉⲙ ⲉ̀ϫⲉⲛ ⲛⲟⲩϣⲏⲣⲓ : ⲉⲑⲃⲉ ϫⲉ ⲁⲩϩⲓⲟⲩⲓ̀ ⲛ̀ ⲟⲩⲥⲛⲟϥ ⲛ̀ ⲁⲑⲛⲟⲃⲓ ⲉ̀ⲡ̀ϩⲁⲡ .ı. h. e. *Et similiter dicam venturum super eos judicium perditionis in aeternum, ac super eorum filios; propterea quod projecerunt sanguinem innocentem in judicium*. Horum autem in versione, quae apud Tukium sequitur, nec vola, nec vestigium; sed eorum

loco est: *Propterea haec dicit Dominus: Ecce ego dabo te in pavorem etc.* quemadmodum fert ejusdem Jeremiae textus Saidicus praecedentis paginae 295, ac Prophetae ipsius versiculus apud nos quartus Capitis vicesimi. Scio etiam in aliis exoticis libris occurrere interdum loca sive interpretis, sive editoris negligentiâ in versione praetermissa. Exempla etiam in promtu sunt, ut Codicis Liturg. Eccles. Univ. T. II pag. 167 fere extremâ, ubi deest interpretatio commatis Ⲁⲓⲛⲁⲩ ⲉ̀ⲡⲓⲡⲛⲁ ⲉ̀ⲑⲟⲩⲁⲃ ⲉ̀ⲧⲁϥⲓ̀ ⲉ̀ⲡⲉⲥⲏⲧ ⲉ̀ⲃⲟⲗϧⲉⲛ ⲧⲫⲉ: *Vidi Spiritum Sanctum Caelo delapsum*, et Operum S. Ephraem Tom. II pag. 396. c, ubi Latine desiderantur versiculi: ܗܘ ܐܝܠܢܐ ܬܘܒ
ܕܚܝ̈ܐ ܀ ܗܕܪܐ ܡܢܗܪܐ ܠܥܡܛ̈ܢܐ ܀ ܡܛܠܠܬܗ
ܦܫܛܐ ܕܡܠܟܘܬܐ ܀ ܢܘܚܡܐ ܗܘܐ ܠܦܘܪܩܢܗ ܀
h. e. *Illius item arboris vitae, quae*

spem afferT mortalibus (Prover. xiiI 12) *parabola Salomonis arcana hodie perspicua fit*. Ac sane in contextu longo aliquid praeterire imprudens facile potest editor quamvis doctus. Sed apud Tukium nimis crebro Latina Copticis non respondent. Vide vel in paginâ proxime sequenti 297 versui sexto Memphitico Gen. xlviiI interpretationem subjectam Thebaidici, quasi eadem utrisque conveniret, cum tamen ille habeat *vocabuntur nomine fratrum suorum in hereditate sua*, quo loco Thebanensis, Tukio interprete, *nomen tuum vocabitur super eos*. Ac pag. 192 cum dimidius modo versus 10 cap. xv Joan. Theb. et Lat. exhibitus sit, duobus integris interjectis Memphiticis nono et decimo, intelligens emendator nonne delevisset quod redundat? Quemadmodum etiam pag. 273

hemistichium extremum v. 2 Deuter. IX ⲛⲏ ⲉⲑⲛⲁϣ (lege ⲛⲓⲙ ⲉⲑⲛⲁϣϯ) ⲟ̀ϩⲓ ⲉ̀ⲣⲁⲧϥ ⲙ̀ⲡⲉⲙⲑⲟ ⲛ̀ ⲛⲓ (adde ϣⲏⲣⲓ) ⲛ̀ⲧⲉ ⲉⲛⲁⲕ ·ⲓ· h. e. ut cum Livio loquar, *Quis stabili obnixus gradu impetum excipiet Enacitarum?* a quo ridicule fragmentum Memphiticum incipit, cum absit, et recte quidem, a Thebaidensi, quod praecedit, et a versione Latinâ subjunctâ ipsi Memphitico. Sed nae ego ineptus, qui multus sim in arguendâ hominis inscitiâ et negligentiâ, quantam nemo credet, nisi qui cognoverit ex ipso libro.

Neque tamen velim Copticae linguae studiosos propterea minus grato animo recolere merita Sacrae Congregationis de Propag. Fide, quae neque sumtibus pepercit, ut editio *Rudimentorum* fieret digna se, et pluribus, quam adhuc ceteri, Copticis libris nos locupletavit, Liturgicis ma-

xime, atque Ecclesiasticis [1]. Nam Renaudotius quae vulgavit, Latine tantum edidit; Joseph autem Aloysius Assemani dedit quidem etiam Coptica, sed pauciora, hoc tamen utilior, quod latinam addiderit interpretationem [2].

Sed jam qui cultus fuerit Aegyptiaci sermonis in Europâ, satis mihi videor persecutus. Reliquum esset, ut de naturâ linguae dicerem; quandoquidem non ignobilis quaestio extitit, Grecae ne affinis sit, aut Hebraicae, an alius plane originis, ac sui ipsa juris. Sed haec rectius dis-

(1) Psalterium superius annotavi typis Sac. Congr. impressum a. 1749. *Euchologium* autem *Alexandrinum Copto-arabicum* V. vol. in-4.° editum per partes est, nimirum *Missale* a. 1746, *Pontificale* 2 vol. a. 1761, *Rituale* a. 1763, *Theotochiae* a. 1764. Excusum praeterea iisdem typis *Diurnum Alexandrinum Copto-arabicum* a. 1750 in-8.°

(2) *Codicis Liturgici Ecclesiae Universae* tom. I pag. 141 incipit Copt. ac Lat. *Ordo ad faciendum Catechumenum*, tom. II pag. 150 *Ordo Baptismi*, tom. III pag. 82 *Ordo Confirmationis*, t. VII parte 2. *Missale*.

putabitur post alphabetum in *Additamento*. Itaque hic tantum commemorabo Gallum cl. Ab. Barthelemy[1], qui Aegyptiam linguam cum Phoeniciâ comparavit, et Graecâ, atque Italos duos, quorum eruditio non ita pridem refutavit errorem Dominici Diodati putantis *Copticum idioma nihil aliud esse quam Graecum corruptum, atque Arabo mixtum*. Eadem fere sententia fuerat Isaaci Vossii, et Harduini; sed quam vanam praeclare ostenderunt uno eodemque anno 1772 cum doctissimus Editor *Danielis secundum Septuaginta* Dissert. II pag. 371 et 372, ubi Psal-

(1) *Mémoires de l'Académie R. des Inscriptions* tom. 57 in-8.° pag. 383 *Réflexions générales sur les rapports des Langues Egyptienne, Phénicienne et Grecque*. Cujus commentationis jucunda mihi lectio nuper fuit cum propter alia, quae habet erudite cogitata atque acute, tum quia ex ejus paginâ 421 cognovi La-Crozii et Jablonskii auctoritate firmari quae scripsi de compendio vocis ⲟ̅ⲥ̅ *Soïs, dominus*.

mum cxxxiI Coptice integrum affert, in quo ne verbum quidem unum cernitur Graecum aut Arabicum, tum Jo: Bernardus De-Rossi pag. 41-49 *Della Lingua propria di Cristo*, ubi accurate idem indicat, qui ante se de linguâ Copticâ disseruerint, adeoque fontes plerosque, unde hauriri ejus historia potest; quam ipse iterum paucis attigit, cum tot linguis, atque adeo etiam Coptice fausta precatus est novis nuptis Principibus Pedemontii [1].

Atque hic libens finem facio in ejus memoriâ meritorum, unde praefari sum orsus. Nam praeterquam quod ingenium laudati D. De-Rossi amo, et doctrinam suspicio, ei publice gratias agere debeo quod ultro ad me scripserit quidquid poterat sus-

(1) Vide pag. xxvI *Dissertationis Praelimin. ad Epithalamia exoticis Linguis reddita*, atque horum paginâ nonâ inscriptionem pro *Augustâ Praetoriâ*.

picari adhuc mihi non innotuisse, quod ad historiam literariam Copticam pertineret. Et erant revera cum alia, quae nescirem, tum, quod postremum juvat jam adscribere, cl. Maschium, qui produxit ad haec tempora Bibliothecam Sacram Jacobi Le-Long, in eâ (1) nuperrime de Coptorum linguâ et Biblicis versionibus erudite scripsisse et diligenter.

Dabam Augustae Taurin. a. d. xII Kal. April. an. 1782.

---

(1) *Bibl. Sacrae* part. II vol. I sect. x pag. 182, et seq. Ceterum cum jam haec absolveram, ecce idem cl. De-Rossi ad me scribit se literis Adleri nuper certiorem factum veteres membranas doctiss. Antist. Stephani Borgiae xI fragmenta Aegyptiaca servare, Sahidica omnia, atque omnia, judice Aug. Ant. Georgi, scripta v inter et vII seculum. Ac praeter editum ex Actis S. Coluthi, et quorum proxima speratur editio ex Evang. S. Joann., et libri Jobi fere integri, duo Biblica esse, nempe Matth. c. xxII et xxIII, et Luc. vIII ad xIII, tria Sermonum Asceticorum, et tria historica, unum scilicet Historiae Aegypti, in primis Ecclesiasticae, alterum Historiae turbarum et vexationis Arianae, quae fuit Alexandriae sub Athanasio, tertium Miraculorum S. Macarii.

RUDIMENTUM
COPTUM.

Lingua Coptica Aegyptiaca est, non pura puta antiquior illa sub Pharaonibus atque ante Alexandrum usurpata, sed quae Ptolemaeorum aevo, Graecis Aegyptum obtinentibus, novum quasi vultum induit, magnâ vi Graecarum vocum adscitâ; ac prioribus post Christum saeculis immortalitati commendari coepta est monumentis literarum, vernacula Aegyptiorum, qui Graeca non uterentur, donec Aegypto ab Amruo A. C. 641 auspiciis Omari subactâ, incolae a novis dominis Arabice loqui didicerunt, et sensim Copticus sermo exolevit. Duas autem dialectos praecipuas habet, Memphiticam Inferioris Aegypti, et Thebaidicam Superioris, cujus idioma vocatur a Coptis الصعيدي *assaîdi*. Hoc Saidicum Jablonskio antiquius, quia simpli-

cius et rudius, Renaudotio purius visum est. At contra vir doctissimus Augustinus Ant. Georgius in scheda olim ad me data optime animadvertit Christianorum libros a doctioribus, atque adeo ab Alexandrinis, ac Memphitis, horumque proximis verisimilius coeptos esse converti, ut rudioribus consuleretur. Addo ego ibi primum in pagis atque inter plebem necessario novatum sermonem Aegyptiacum, ubi Graecus in consuetudinem cultiorum hominum invectus est. Neque illud ipsum dixerim, quod Jablonskius et Renaudotius videntur voluisse, nimirum Saidicum a prisco Pharaonum recessisse minus. In iis enim, quas mihi licuit conferre, sacrorum librorum particulis utriusque dialecti, cum alterutram passim viderim servasse Aegyptiam dictionem, ubi altera Graecam adhibet, plerumque tamen Aegyptiacam in Memphitica, Graecam reperi in Tebanensi. Atque haec eadem Graecis verbis refertior habet Graeca longe corruptiora. Itaque omni laude Memphiticam

praestare crediderim, quae notior eadem adeo est, ut Copticae nomine sine alio admonitu ipsa potissimum intelligatur.

Sed de literis dicendum, quas Copti a Graeci acceperunt. Nobilis est vetus codex Alexandrinus, ad cujus fidem editum V. T. Oxonii a Grabe, ac Tiguri a Breitingero. Utraque editio exhibet in Prolegomenis §. 6 specimen characteris ms., quod Montfauconius etiam edidit Palaeographiae pag. 514, qui brevius aliud attulerat p. 214. Confer, si vacat, ejus codicis formam literarum cum Copticâ, eâ in primis, cujus prostat specimen ex membranis vetustissimis initio *Fragmenti ex Actis S. Coluthi. Romae* 1781. Comperies Copticas typis excusas Romanis, Anglicis aliisque longe magis discrepare inter se, quam a Graecis codicis Alexandrini. Nihil igitur consulto datâque operâ ab Aegyptiis in adscitâ Graecorum scripturâ novatum. Neque, opinor, in pronunciatione a Graecâ ejus aevi consuetudine discessum est. Nam quod Memphitae constanter diphthongos *αι*,

ει unicâ literâ *ε*, *ι* in Graecis notent, *δικεοσυνη*, *παραδισος*, commutatisque invicem *η*, *ι*, *υ* passim habeant *αρχηερευς*, *προσηλιτος*, *θλυψις*, *μαρτηριον*, *σχυνη*, *στυλη*, *κυβωτος*, atque hujusmodi sexcenta, id ipsum in Graecis codicibus invenitur. Vide vel in Prolegomenis modo memoratis eodem §. 6, ut in Alexandrino *ubique fere locorum, ac saepissime sint inter se permutatae ε αι*, itemque *ι η ι ει οι*. Equidem credo quo tempore Coptice scribi coeptum est, eumdem jam fere sonum Graecarum literarum extitisse, qui hodieque in Graeciâ auditur. Nolo tamen contradicentibus repugnare, quum satis mihi sit monere, multa in Copticis occurrere, quae non intelligantur nisi cognitâ recenti, quae dicitur, Graecorum pronunciatione.

Caeterum, quandoquidem omnes linguae aliquid habent peculiare, quinque Graecae literae locum in vocabulis Aegyptiacis non invenerunt, dum contra sermo Aegyptius habere sex elementa visus est, quibus nulla Graeca litera

satis responderet. Additae igitur Aegyptiae sex, quae cum novendecim reliquis de Graecis viginti quatuor demtis quinque inutilibus Aegyptiae Linguae, hujus literarum explent summam quinque et viginti, quot Plutarchus hanc habuisse testatur *(a)*. Sed cum Graeca vocabula a Coptis usurpata eas quinque literas habeant, quae ab Aegyptiis exulant, eaedem jure optimo locum in Alphabeto Coptico retinuerunt. In quod praeterea cum inductum sit compendium literarum *τι*, itemque Graecum *ἐπίσημον βαῦ*, characteres Coptici Alphabeti evaserunt triginta duo, quos tradere aggredior, et quatenus legendi usus postulat, illustrare.

(a) *De Iside et Osir.* 56: Ποιεῖ δέ τετράγωνον ἡ πεντὰς ἀφ᾽ ἑαυτῆς, ὅσον τῶν γραμμάτων παρ᾽ Αἰγυπτίοις τὸ πλῆθός ἐστι. Quadratum quinarii numeri esse viginti quinque vel tirunculi in Mathesi norunt.

Nomina ex Tukio descripsi. Kircherus in Prodromo habet ⲏⲓⲧⲁ, ⲗⲁⲩⲇⲁ, ⲫⲉ, ⲁⲩ, ⲍⲁⲛⲍⲁ, ϯ, pro ⲏⲧⲁ, ⲗⲁⲩⲗⲁ, ⲩⲉ, ⲁⲱ, ⲍⲓⲁⲛⲍⲓⲁ, ϯⲓ, et *thita*, *lauda*, *bi*, *h* pro *thida*, *laula*, *pi*, *he*. Nihil emendavi, ut qua ratione Copti Graeca scribant proferantque vel ex hoc specimine conjicias; nec operae pretium erat his immorari.

Coptis jamdiu vernacula dialectus quaedam est Linguae Arabicae, de qua dicere nihil attinet, nisi hoc unum eos quidquid Coptice discunt, pronunciant, scribunt ad Arabicas literas pronunciationemque referre. Ideo singulis Copticis Arabicas apposui, quas comperi ab ipsis Coptis adhibitas Copticis exprimendis, exceptis vocalibus, quas Arabes non satis definite consignant tribus notis, quarum *alfatho* effertur modo *a*, modo *e*, *alkesro* cum *e*, tum *i*, *addhamo* jam *o*, jam *u*. Hinc α, αι, ε relatae ad *alfatha* ambigui soni evadunt inter *a* et *e*; ε, ει, η ι, οι, υ relatae ad *alkesra* ambigui inter *e* et *i*; ο, ου, ω relatae ad *addhamma* ambigui inter *o* et *u*. Neque

M.

	Nomen	
Ⲁⲗⲫⲁ	*Alph*	
Ⲃⲓⲇⲁ	*Vida*	um prima vocis est, aut media les; alias *b*.
Ⲅⲁⲙⲙⲁ	*Gam*	ut aliis jungitur, at ubique re- raeci *γ*.
Ⲇⲁⲗⲇⲁ	*Dala*	raeci *δ*.
Ⲉⲓ	*Ei*	
Ⲍⲓⲧⲁ	*Zida*	licis *quasi*, *musica*.
Ⲏⲧⲁ	*Hida*	
Ⲑⲓⲧⲁ	*Thid*	
Ⲓⲁⲩⲧⲁ	*Jaud*	
Ⲕⲁⲡⲡⲁ	*Kabb*	
Ⲗⲁⲩⲗⲁ	*Laul*	
Ⲙⲓ	*Mi*	
Ⲛⲓ	*Ni*	
Ⲝⲓ	*Exi*	
Ⲟ	*O*	
Ⲡⲓ	*Pi*	t ⲙ et ⲡ; alias rectius *p*.
Ⲣⲟ	*Ro*	
Ⲥⲓⲙⲁ	*Sima*	Italicis *dicesi*, *credesi*.
Ⲋⲟ	*So*	, nota numeri sexti, non litera.

adeo in Copticis Jablonskius dubitat scribere *amant* ⲉⲙⲉⲛⲧ (*occidens*) *amsah* ⲉⲙⲥⲁϩ (*crocodilus*) *phaneh* ⲫⲉⲛⲉϩ (*ὁ αἰών*) *ar* ⲉⲣ (*facere*) quin et *Chami*, *Kame* ⲬⲎⲘⲒ ⲔⲎⲘⲈ (*Aegyptus*) *nabat* ⲛⲉⲃⲏⲧ (*sapientes*) etc. Quamquam, ut opinor, non ex unâ Arabum pronunciatione incertas duxit vocales Copticas vir in his literis diu strenueque versatus, qui verissime animadvertit (*a*) *vocales in Lingua Aegyptiorum mirifice inter se permutari*. Videtur enim suapte natura vetus Aegyptiaca similior fuisse Hebraeae atque affinium, quam Graecae ac nostrarum, in quibus nihilo magis consonae spectandae quam vocales, cum in illis Orientalibus longe minor vocalium ratio ac momentum sit. Ac fortasse, quod quidem ad vocales attinet, ea nunc veteris Niliacae conditio est, quae foret Hebraeae, si hujus libri non nisi Graecis literis ad nos pervenissent, quemadmodum in secundâ columnâ Hexaplorum Orige-

(a) *Pant. Aegypt.* p. III p. 97 extremâ.

nis legebantur. Quare de primaevo non modo sono, sed etiam numero Aegyptiarum vocalium nihil certum habeo. Septem Graecae diu ante Christum videntur ad Nilum vel in sacris usurpatae (*a*).

(*a*) In scholis Aegyptiis erant notae musicae septem sonorum, et astronomicae planetarum,

si	*ut*	*re*	*mi*	*fa*	*sol*	*la*
α	ε	η	ι	ο	υ	ω
☾	☿	♀	☉	♂	♃	♄

ut in laterculo hic exhibentur, additâ superius musicâ significatione, inferius astronomicâ. Canebant igitur his vocalibus, quemadmodum nunc sonorum nominibus *solfeggiando*. Itaque sacerdotes et cantores, credo, complures in templis unâ *συμφόνως* his vocalibus *solfeggiavano*: neque insuavis ex hiatu sine consonis concentus existebat, qui prae citharâ tibiisque aptus divinis laudibus habebatur, quod voces concentumque referret caelestium orbium laudantium Deum. Hinc auctor libri *περὶ ἑρμηνέιας* contendens vocales concurrere suaviter in oratione §. 71. Ε'ν Α'ιγύπτῳ, ait, *καὶ τοὺς θεοὺς ὑμνοῦσι διὰ τῶν ἑπτὰ φωνηέντων ὁι ἱερεῖς, ἐφεξῆς ἠχοῦντες ἀυτά. καὶ ἀντὶ ἀυλοῦ καὶ ἀντὶ κιθάρας τῶν γραμμάτων τούτων ὁ ἦχος ἀκούεται ὑπ' ἐυφωνίας*. Ubi ἐφεξῆς interpretor aliam post aliam continenter, quamvis post quamvis statim, non uno eodemque ordine eamdem post eandem semper; quod nec potuisset non esse molestum, et argumentum suppeditasset suavitatis in concursu vocalium definite hujus atque illius, non quarumque universe, quod vult laudatus auctor.

Optime autem Coptice proferuntur, meâ quidem sententiâ, ut nunc a Graecis, utque docent appositae Latinae literae in alphabeto nostro, quas easdem Tukius habet in suo, unâ exceptâ, quae respondet τῷ ϒ, cui Tukius apponit *e*, quod etiam Kircherus, qui tamen pag. 286 proferendum monet aliquando ut *i* et *y*. Quare quod interdum revera occurrit ϒ pro *e*, id ego vitium ortum puto ex ambiguitate vocalium Arabicarum; neque auctoritatem Coptorum suscipio de sono literae, quae elementum Aegyptium non sit, sed tantum Graecum, cujusmodi est ϒ vocale. Elementum Aegyptiae vocis erat ejusdem naturae et soni cum Hebraeo vel Ara-

---

Qui si Demetrius esset Phalereus, ut frons libri habet, vocales Graecas in Sacris Aegyptiacis diu ante Christum usurpatas non videri, sed esse dixissem affirmate. Ceterum haec annotare visum est utilia pluribus intelligendis, quae animadverti a viris doctis tentata potius quam explicata. Vide loca apud Jablonskium in *Panth. Aegypt. Prolegom.* pag. LV et sequ. et confer etiam D. Irenaeum lib. I cap. x extremo.

bico *vav*. Id elementum scriptum a Coptis est initio syllabae ⲟⲩ, ut saepe a Graecis consonans *ν* latinum. Scriptum item ⲟⲩ, cum quieti datum (ut Grammatici Hebraeorum loquuntur) fit *u* vocale. Ubi autem movetur in ⲁⲩ, ⲉⲩ legitur ab ipsis Coptis ﺍﻭ *av*, *ev*, *ef*. Nihil igitur neque in vocalibus, neque in diphthongis a Graecâ pronunciatione recedendum, nisi quatenus ⲁⲓ, ⲉⲓ, ⲟⲓ Saidice tantum sunt diphthongi *αι*, *ει*, *οι*, legendae unico sono *e*, *i*, *i*. In Memphiticis disjunguntur semper, ut *αϊ*, *εϊ*, *οϊ*. Quod autem jam subindicavi ⲟⲩ ante vocalem saepe legendum *v*, ut *w* Germanicum, id conjeci equidem ex analogiâ linguae intimâ, sed ideo etiam probo, ut suavior evadat pronunciatio. Itaque ⲟⲩⲟϩ (*et*) lego *voh*, ⲟⲩⲱⲓⲛⲓ *voini*, et cum articulo indefinito ⲟⲩⲟⲩⲱⲓⲛⲓ *uvoini* (*lux*) etc.. Atque haec de vocalibus. Ad consonas aggrediamur.

ⲃ legendum monui initio et inter vocales *v*, ⲃⲁⲉⲙⲡⲓ *vaëmpi* (*capella*, *hoedus*) ⲉⲃⲓⲁⲓⲕ *eviaik* (*servi*, *famuli*) etc.

Alias *b*, ⲛⲟⲩⲃ *nub* (*aurum*), ⲧⲉⲃⲧ *tebt* (*piscis*). Haec Tukius praecipit, sed non adeo explicate, ut omnem mihi scrupulum eximat.

ⲅ ante omnes consonas, etiam ante *n*, atque ante vocales ⲁ, ⲟ, ⲱ legitur a Coptis ϭ *gh*. Sed ante ⲉ, ⲏ, ⲓ, ⲩ sonat ipsis ϭ. Equidem lego, ut Graeci γένος *ghiènos*, *jènos*, γυνὴ *ghjinì*, *jinì*, quae pronunciatio latinis literis exprimi satis nequit. Nusquam autem in vocibus Aegyptiae originis occurrit ⲅ praeterquam in dialecto Thebaidicâ post ⲛ scriptum pro ⲕ, quia χ Graeci etiam post ν et γ legunt γ, τὸν κόσμον *tongosmon*, ἀγκάλι *angáli*, ἔγχυος *ènghios*. Thebaidenses autem adeo nullâ veriverbii ratione habitâ obsequuntur auri in scripturâ, ut interdum barbaria mera sit, quemadmodum cum scribunt ϭⲓⲙⲉ pro ⲧⲥϩⲓⲙⲉ ἡ γυνὴ, quia ϭ fere idem sonat ac *tsh*. Itaque cum e. g. ex ⲉⲩⲉ̀ⲥⲟⲩⲱⲛ (*cognoscent*) et ⲕ (*te*) fiat ⲉⲩⲉ̀ⲥⲟⲩⲱⲛⲕ (*cognoscent te*) ipsi, quia proferunt *evesuong*, scribunt ⲉⲩⲉ̀ⲥⲟⲩⲱⲛⲅ, itemque ⲧⲱⲟⲩⲛⲅ

pro ⲧⲱⲟⲩⲛⲕ (*surge, dl̦ati*) etc. Hinc eorum ⲁⲛ̀ⲧ *ego* pro ⲁⲛ̄ⲕ ex ⲁ̀ⲛⲟⲕ, et ⲛ̀ⲧ pro ⲛ̀ⲕ, quod habes in Memphiticis Luc. VI, 41 ⲛ̀ⲕϯⲛⲓⲁⲧⲕ *animadvertis;* Joan. III, 8 ⲛ̀ⲕⲉ̀ⲙⲓ ⲁⲛ *nescis*, ut et alibi, conflatum ex ⲛ̀ *ad, ut*, et ⲕ notâ secundae personae masculinae; quemadmodum pro primâ praefigitur ⲛ̀ϯ, et ⲛ̀ϥ pro tertiâ masculinâ, pro femininâ ⲛ̀ⲥ, etc. Sed usus hic Saidicus vicarii ⲧ pro ⲕ post ⲛ haud satis Aegypto vindicat literam, quae nec praeterea in Saidicis, et in Memphiticis apparet nusquam. Quare haec prima est quinque literarum, quae in vocabulis Graecae originis a Coptis tantum usurpatae, in censum non veniunt Aegyptiarum viginti quinque. Ceterae sunt ⲇ, ⲍ, ⲝ, ⲯ.

ⲛ unico interdum flexu protensa in fine vocabuli fit ⳡ, quae tamen forma finalis in editis plerisque non invenitur.

ⲡ, ⲧ Copti legunt *b, d*. Nostrates Coptice docti malunt *p, t*. Ego in his etiam Graecam rationem secutus, cum

nostris plerumque consentiens, haud tamen prorsus Copticae pronunciationis obliviscor, legens ⲙⲡ *mb*, ⲛⲧ *nd*, unde quaedam facilius assequor, e. g. quod ⲉⲛⲧⲏⲙⲁ *endima* sit ἔνδυμα *indumentum*. Cod. Liturg. tom. I p. 164 extremâ.

ϫ legendum etiam ut Graece arbitror. Quod vero ante ⲉ, ⲏ, ⲓ, ⲩ Coptis est plerumque *sce*, *sci*, ϫⲉⲣⲉ *scere* (*ave*) Ⲙⲉⲗϫⲓⲥⲉⲇⲁⲕ ملشيساداق *Melscisadák*, id equidem tribuo difficultati pronunciationis rectae; quia in χε, χι Graecum os imitari Arabes melius nequeunt. At in vocibus Aegyptiae originis ubique legas licet, ut Itali *ch*. Nam Tukius ita efferendum praecipit in iis, quae Saidice habent ⲕ pro ϫ Memphitico, ut Ϫⲏⲙⲓ *Chimi* (*Aegyptus*) Saidice ⲕⲏⲙⲉ *kime*. Sed hujusmodi sunt pleraque; et ubi a Coptis ϫ legitur ش, ibi etiam invenies خ *kh*, ut in Ⲙⲉϫⲓⲣ *Mescir*, Arab. امشير *Emscîr*, sexti mensis nomine, quod ماخير *machîr* Alfragano est in *Elementis Astronomicis* a Golio editis Amstel. 1669. Tantum igi-

tur tenendum est, interdum ϫ et ش in ore Coptorum idem esse.

ⲯ quinta atque ultima literarum, quae tantum in Copto-graecis locum habent, exstat sane Gen. XLI, 45 in dictione Aegyptia ⲯⲟⲛⲧⲱⲙ ⲫⲁⲛⲏⲕ. Sed haec omnino a Copto interprete descripta de Graeco est τῶν ὁ. Neque satis equidem scio quomodo Aegyptie scribenda sit; quamquam ⲡⲥⲱϯ ⲙ̀ ⲫⲉ̀ⲛⲉϩ (*redemtio saeculi, salus aevi*) Hieronymi auctoritate nitatur, qui nomen id Josepho datum vertit *Salvatorem mundi*.

ϫ, ϭ, ϣ ne soni similitudine confundantur, ϫ Italo ore profero *ge*, ϫⲁϫⲓ *giagi* (*inimicus*) ϭ, ut Gallicum *g* ante *e* et *i*, vel, quod eodem redit, ut *j* Gallicum ante vocales quasvis, ϭⲱⲛⲧ (*tentatio*) *jond*, ut Galli *joli* (*bellus*). ϣ, ut *ch* Gallicum, quod in *che, chi* idem est ac Italicum *sce, sci*, sed in *cha, cho, chou* eundem servat sonum purum putumque, cui nos insertum *i* in *scia, scio, sciu* adjungimus etiam aliquatenus in pronunciatione.

Caeterum ϭ (*j* Gallicum) habet se ad ⲍ (*s* lene Ital. in *fantasima*, *esempio*, *visibile*) ut ϣ (*ch* Gallicum) ad ⲥ (*s* asperum in *sentesi*, *disotto*, *risalutare*) atque adeo ϭ est lene quoddam ϣ (*a*), neque tamen sonus ϭ longe abit a sono ϫ.

ϩ, ϧ aspirationes Italis ignorabiles, nisi quatenus Florentinorum *c* ante *a*, et *o* haud procul abest a ϧ, cui propius adhuc accedit Hispanorum *j*, e. g. *hijo* (*filius*) *hoja* (*folium*). Conferendum *hori* ϩ est cum Hebraeorum ה et *chei* ϧ cum ח. In Copto-graecis adhibetur *hori* pro spiritu Graecorum aspero, unde ϩⲟⲥⲟⲛ, ϩⲟⲧⲉ, ϩⲏⲗⲓⲕⲓⲁ̀ etc. pro ὅσον, ὅτε, ἡλικία. Quod tamen interdum negligitur in ⲁⲅⲓⲟⲥ, ⲓⲉⲣⲉⲩⲥ etc. dum contra *hori* habetur, ubi Graecus lenis spiritus est, e. g. in ϩⲉⲗⲡⲓⲥ, ϩⲏ-

---

(*a*) L'*j* consonne approche beaucoup pour la prononciation du *ch* françois, de sorte que l'*j* est un *ch* radouci, et le *ch* un *j* prononcé fortement. C'est pourquoi plusieurs prononcent *ajevé*, *jeval* au lieu d'*achevé*, *cheval*. *Dictionn. Grammatical de la Langue Françoise. Paris 1768.* Tom. II p. 2.

ⲁⲏ, ϩⲓⲣⲏⲛⲏ, etc. ἔλπις, ἤδη, ἐιρήνη. Thebaidenses unicam norunt aspirationem ϩ, quâ ideo utuntur etiam pro ϧ Memphitico.

ϯ compendium literarum ⲧⲓ, quod in Copto-graecis non solet usurpari, quamquam est ⲓ̀ⲙⲏϯ pro ἐι μήτι I Corinth. vII, 17 et xv, 2; in Aegyptiacis adhibetur semper. Neque tamen literam, sed nexum duarum esse patet 1.° quia in pronunciatione Coptis est *di*, aliis, ut Jablonskio, *ti*, atque adeo scriptum pro ⲧⲓ etiam in proprio nomine Τιβεριάδος ϯⲃⲉⲣⲓⲁ̀ⲇⲟⲥ Joann. vI, 1 et 23. 2.° quia ϯ habetur, ubi analogia requirit ⲧⲓ. Cum enim ⲓ sit passim Memphitice in fine vocis, ubi Saidice est ⲉ, quemadmodum ⲣⲱⲙⲓ (*vir*) ⲥϩⲓⲙⲓ (*mulier*) ⲥⲱⲛⲓ (*soror*) ϣⲏⲣⲓ (*filius*) ⲛⲓϥⲓ (*spiritus*) ⲛⲟϥⲓ (*peccatum*) ⲣⲁϣⲓ (*gaudium*) etc. respondent Saidicis ⲣⲱⲙⲉ, ⲥϩⲓⲙⲉ, ⲥⲱⲛⲉ, ϣⲏⲣⲉ, ⲛⲓϥⲉ, ⲛⲟϥⲉ, ⲣⲁϣⲉ, ita ⲛⲟⲩⲧⲓ, ⲛⲁϩⲧⲓ, ⲣⲁⲥⲧⲓ, ⲕⲱⲧⲓ, ⲕⲓⲧⲓ, ⲙⲟⲩⲧⲓ etc. oportet sint Memphitis voces Thebaidicae ⲛⲟⲩⲧⲉ (*Deus*) ⲛⲁϩⲧⲉ

(*fides*) ⲣⲁⲥⲧⲉ (*cras*) ⲕⲱⲧⲉ (*circuitus*) ⲕⲓⲧⲉ (*tributum*) ⲙⲟⲩⲧⲉ (*vocare*) quae Memphitice scribuntur ⲛⲟⲩϯ, ⲛⲁϩϯ, ⲣⲁⲥϯ, ⲕⲱϯ, ⲕⲓϯ, ⲙⲟⲩϯ. Eadem pluralium quorundam ratio: ⲉⲓⲱⲧ (*pater*) ⲉⲓⲟⲧⲉ (*patres*) Thebaidice, Memphitice ⲓⲱⲧ, ⲓⲟϯ. Itidem Saidicis articulis ⲡⲉ, ⲧⲉ, ⲛⲉ (ὁ, ἡ, οἱ vel αἱ) respondent Memphitici ⲡⲓ, ϯ, ⲛⲓ. 3.° quia ϯ praefixum verbis indicat primam personam, quam alias nunc solum ⲧ, nunc solum ⲓ; et, quae sunt ejusdem originis, nunc habet ⲧ, nunc ϯ pro formae ac juncturae diversitate. Ipsa radix ϯ (*dare*) eadem est ⲧⲏⲓ, et in compositis interdum ⲧ, quamquam ϯ plerumque. Quare nulla causa est cur ϯ et ⲧⲓ una eademque syllaba non habeatur iisdem constans elementis; eodemque jure adscriptum Copticis literis ϯ, quo in Arabicum *alphabetum* intrusus nexus ﻻ ante ultimam ي.

Illud mirum, quod non modo Kircherus, sed Tukius, homo Coptus, notae senarii numeri ϛ tamquam literae,

quae sexta ipsis est, potestatem tribuunt elementi ϛ. At, qui hujus legerit μέγα βιβλίον, *Rudimenta Linguae Coptae. Romae* 1778; adeo multa comperiet inordinate, perplexe, perverse tradita, commutata invicem, manca, repetita, perturbata, arque edita mendose, ut prae tot ejus libri vitiis levem sit habiturus hanc auctoris oscitantiam, quâ non animadvertit se tam multa exscribentem utrâque dialecto, nunquam tamen ϛ literam exarare, numerum saepe. Numeri nomen est ⲥⲟⲟⲩ, ⲡⲓⲥⲟⲟⲩ *il sei*, quamquam saepius Copti dicunt ⲉⲝ Graece numerantes, ut in *Prodromo* Kircheri pag. 326. Sed cetera persequamur.

Accentus (qui tamen a plerisque adscribitur, aut omittitur incuriose) accentus ˋ inquam vim auget literae, cui impendet, quae si vocalis est, sonat clarior, si consona fúlcitur vocali quadam brevissimâ, quae plerumque in pronunciatione praeit, interdum tamen sequitur consonantem suam. Praeit nasali ⲛ̀ *en*, sive ⲙ̀ *em* particulae ejusdem fere si-

gnificationis cum Hebraeo ל. Sequitur ipsum ⲛ̀ *ne* articulum pluralis numeri, ut ⲡ *pe* et ⲧ *te* singularis. Itaque e. g. ⲛ̀ϣⲏⲣⲓ ⲛ̀Ⲓⲁⲕⲱⲃ ⲛⲉ ⲛⲓⲥⲱⲧⲡ ⲛ̀ⲧⲁϥ: legendum *nescirin-Jacob, ne nisot-pendàf*, quia prius ⲛ̀ est *οἱ*, ⲛ̀ϣⲏⲣⲓ *οἱ υἱοὶ*, alterum particula quidem est, quam τῷ ל comparavi, adeoque ⲛ̀Ⲓⲁⲕⲱⲃ (*Jacobi*) est *enJacob*. Sed in oratione continenti *e* brevissima post vocalem non exauditur. Auditur contra in ultimo ⲛ̀ⲧⲁϥ *endàf* (*ἀυτοῦ*) *ni sotpendàf* (*οἱ. ἐκλεκτοὶ ἀυτοῦ*) quia praecedit consona. Sic ⲡ̀ϫⲣⲟϫ ⲛ̀Ⲁⲃⲣⲁⲁⲙ legendum *pegeroge-nAbraam*, quia ⲡ̀ articulus est, ⲛ̀ genitivi nota, *semen Abraami*. Quod autem *e* insertum praeterea est post prius *g*, euphonicum est, addendum passim, ut in ϩⲙⲟⲩ *hemu* (*sal*) ⲉ̀ϫⲱⲣϩ *egiorhe* (*nox*) ⲙⲁϯϩⲧⲏⲕ *matihetik* (*respice*) ⲛ̀ϧⲏⲧϥ *enchitef* (*in eo*) ⲁϥϫⲫⲉ *afgefe* (*genuit*) ⲛ̀ϭⲓ̀ *enghegi* (*sume*) Theb.

Universe enim ubicumque difficilis foret pronunciatio, istud quasi Hebraeorum *scevà mobile* adhibendum eo loco,

ubi origo, forma, compositio verbi postulat, aut saltem patitur. Quod quoniam doceri singilatim nequit, nisi cum ipsâ Grammaticâ, tantum addam vocalem hanc brevissimam efferri optime ut Galli *e*, quam dicunt *mutam*; posse tamen legi *a* eo jure, quo *scevà* Hebraeorum ita lectum plerumque a veteribus: Itaque Jablonskius habet ⲙ̀ⲃⲟⲛ *ambon* (*ira*) ⲛ̀ⲛⲟⲩⲃ *annub* (*aureus*) ⲛ̀ⲟⲩϥⲓ *anufi* (*bonus*). Atque haec de pronunciatione.

Caeterum consonantes, omissis Copto-graecis, bifariam divido in paullo asperiores ⲃ, ⲫ, ⲑ, ⲭ, ⲙ, ⲣ, ϭ, ϣ, ϧ, et leniores ⲡ, ϥ, ⲧ, ⲕ, ⲛ, ⲗ, ϫ, ⲥ, ϩ, quâ ratione binae semper componuntur, superior, atque inferior, ita sono proximae, ut pleraeque solo spiritu discrepent, quem superior majorem postulat, ac vehementiorem. Itaque etiam facilis mutatio superiorum cum inferioribus, quamquam non peraeque omnium. Nam rarissime est ⲗ pro ⲣ, ut in ϭⲱⲗⲡ pro ϭⲱⲣⲡ, subsequente ⲉ̀ⲃⲟⲗ, *retegere*, cum

ϭωλπ sit πλάζειν. At ꙡ pro ⲛ passim, praesertim ante ⲃ, ꙡ, ⲡ, ⲫ, ⲯ, quibus nunquam ⲛ̀ praepositio praefigi, sed ꙡ̀ debet, quae ante ⲑ modo ꙡ̀ est, modo, ut ante reliquas omnes, ⲛ̀. Priorum autem quatuor ⲃ, ⲡ, ⲫ, ϥ videntur duo ⲡ et ⲫ fuisse antiquitus unum idemque elementum, quod Hebraeis פ. Permutantur autem non modo invicem, sed cum ⲃ et ϥ, quamquam, meâ sententiâ, hoc plerumque minus recte, et ex pronunciatione, ac recentiori barbarie, Thebaidensium maxime, qui vetusti sermonis origines et rationem grammaticam sus deque habitam obscurant saepe.

Saidica dialectus leniorem spiritum amat, adeoque ⲡ pro ⲫ, et plerasque leniores frequentes habet pro aspiratioribus ⲧ pro ⲑ, ⲕ pro ⲭ, ϫ pro ϭ, et semper ϩ pro ϧ. Eadem tamen contra usurpat saepe ϭ pro ϫ, unde ϫⲓⲛ̀ϭⲟⲛⲥ (*iniquitas*) pro Memphitico ϭⲓⲛ̀ϫⲟⲛⲥ, et interdum ϣ pro ⲥ, additque haud raro ϩ ubi nulla Memphitis aspiratio.

In numeratione idem literae singulae Coptis valent, quod Graecis. Sed litera ϥ vicem praestat episemi κόππα, cujus etiam refert priscam figuram scripti in adversum *kuph* ⲣ. Notat igitur ϥ̄ nonaginta. Lineola enim superducitur literae, quae numerum indicat. Figuram episemi σάμπι ϡ in Copticis me videre non memini. Nam Wilkinsius in Pentateucho pro nongentis adhibet ⲣ̄, ambigue omnino, cum sit etiam ipsi, ut aliis omnibus ⲣ̄ centum. Vide Gen. v, 18 et 20 scripta nullo discrimine 162, et 962 ⲣ̄ⲝ̄ⲃ̄.

Lineola autem non modo numeris superducitur, sed compendiis vocum, quorum haec usitatoria ⲉ̀ⲑ̄ⲃ h. e. ⲉ̀ⲑⲟⲩⲁⲃ (*sanctus*) ⲑ̄ⲥ θεός, Ⲓⲏ̄ⲥ, vel Ⲓ̄ⲥ Ἰησοῦς, Ⲓⲗ̄ⲏⲙ Ἱερουσαλήμ, Ⲓⲥ̄ⲗ Ἰσραήλ, ⲡⲓⲏ̄ⲗ *peisrail*, ⲕ̄ⲉ κύριε, ⲡⲁ̄ⲣ παρθένος, ⲡⲛ̄ⲁ πνεῦμα, ⲥⲱ̄ⲣ σωτήρ, Ⲭ̄ⲥ, vel Ⲭⲣ̄ⲥ Χριστὸς, vel etiam χρηστὸς, quamquam hoc inepte confusis vocabulis ejusdem soni.

Superest ⲟ̄ⲥ, quod scribendum ⲟ̄ⲥ̄, ut constanter in Pentateucho et N. Te-

stamento Wilkinsius fidem secutus Manuscriptorum in re, quam nihilo ipse melius intellexit, quam ceteri. Neque enim prior litera est ⲑ, ut ipse conjicit (*a*), neque ⲟ, quod videntur credidisse, qui ⲟ̅ⲥ̅ nobis obtruserunt. Sed omnino est ϭ juncta sequenti ⲥ, et ⲟ̅ⲥ̅ legendum ϭⲱⲓⲥ. Quod vocabulum utrum *excelsi* notionem ab origine ducat, non hic quaero, sed ex usu *dominum* significabat, sive Deum, sive alium quemvis. Copti, cum fortasse jam pridem legere instituerint, quemadmodum vulgo Hebraei, compendia dictionum solis literis, quae scribuntur, eo tandem lapsi videntur, ut non modo hanc dictionem integram nunquam scribant, sed ignorent prorsus. At forte fortunâ Thebaidenses non iisdem omnibus usi dictionum compendiis, quibus Memphitae; atque ubi hi habent ⲟ̅ⲥ̅, illi vocem integram servaverunt ϫⲟⲉⲓⲥ, quae scribenda Memphitice ϭⲱⲓⲥ, ut ϭⲓⲙⲱⲓⲧ pro Saidico ϫⲓⲙⲟⲉⲓⲧ (*viam praecipere*

(*a*) *Proleg. N. T.* c. III.

ὀδηγεῖν). Ita ϭⲁϫ (*passer*) ⲥⲟϭⲛⲓ (*consilium*) ϭⲏϫⲓ (*purpura*) etc. sunt Memphitis, quae Thebaidensibus ϫⲁϫ, ϣⲟϫⲛⲉ, ϫⲏϭⲉ, et quod proxime accedit ad ϫⲟⲉⲓⲥ, Saidicum thema ϫⲁⲥ, ϫⲉⲥ, ϫⲓⲥⲉ, ϫⲟⲥ, ϫⲟⲥⲉ, cui subjecta notio est extollendi et celsitudinis, Memphitice est ϭⲁⲥ, ϭⲉⲥ, ϭⲓⲥⲓ, ϭⲟⲥⲓ. Neque mutatio vocalium minus certa, quâ Memphitica ⲱⲓⲕ (*panis*) ⲟⲩⲱⲓⲛⲓ (*lux*) ⲣⲱⲓⲥ (*vigilare*) ϩⲱⲓⲙⲓ (*fluctus*) ⲧⲱⲓⲥ (*pannus, frustum vestis*) etc. respondent Saidicis ⲟⲉⲓⲕ, ⲟⲩⲟⲉⲓⲛ, ⲣⲟⲉⲓⲥ, ϩⲟⲉⲓⲙ, ⲧⲟⲉⲓⲥ, ac passim ⲓ, et ⲱ Saidicis ⲉⲓ, et ⲟ, nullo soni discrimine. Est autem a ϭⲱⲓⲥ ϭⲓⲥⲉⲩ, κύριοι (*a*) plurale, quod propter incrementum contrahit ⲱⲓ in ⲓ, quemadmodum alio incremento a ⲙⲱⲓⲧ (*via*) fit ⲙⲓⲧⲱⲟⲩⲓ̀. Itaque nihil dubito, quin ⲟ̅ⲥ̅, ⲉⲣⲟ̅ⲥ̅, ⲙⲉⲧⲟ̅ⲥ̅ etc. sint ϭⲱⲓⲥ (*dominus, κύριος*) ⲉⲣϭⲱⲓⲥ (*dominari*) ⲙⲉⲧϭⲱⲓⲥ (*dominatio*) etc.

(*a*) *Act. Apost.* XVI, 19. Colos. IV, 1.

Atque hactenus explicata ditionum compendia lineola notantur, quae tamen saepe a Tukio apponitur, ubi nullum vocis compendium est; sed accentus erat adscribendus. Contra unum, opinor, est sine lineolâ compendium vocis, ⲫϯ pro ⲫⲛⲟⲩϯ (ὁ Θεός). Negant Kircherus (*a*) et Wilkins (*b*). Sed 1.° ipse Kircherus pag. 152 tradere id fatetur Coptos. 2.° Thebaidenses non ⲫϯ scribunt, sed ⲡⲛⲟⲩⲧⲉ, ut pro ⲫⲛⲟⲩϯ sua dialectus postulat. 3.° Cum ex ratione linguae Copticae inserendae literae sunt inter articulum et nomen e. g. ut fiat ⲡⲁ (*il mio*) ⲡⲉⲕ (*il tuo*) etc. tunc Memphitae ubique usurpant ⲡⲁⲛⲟⲩϯ (*Deus meus*) ⲡⲉⲕⲛⲟⲩϯ (*Deus tuus*) etc., atque itidem cum non articulus ⲫ, sed indeterminatior ⲟⲩ adhibendus est, ⲟⲩⲛⲟⲩϯ, et sine ullo articulo in compositis, ⲉⲣⲛⲟⲩϯ (*Deum agere, divinitatis esse compotem*) ⲙⲉⲧⲛⲟⲩϯ (*divinitas*) ⲙⲁⲥⲛⲟⲩϯ (Θεοτόκος) ⲙⲁⲓⲛⲟⲩϯ (φι-

(*a*) *Prodromi* cap. VI. (*b*) *Proleg. N. T.* cap. III.

λόθεος) ϣⲁⲙϣⲉⲛⲟⲩϯ (*cultor Dei*) etc. Quid igitur cum ita semper alias Deus Memphitis ⲛⲟⲩϯ sit, nunquam tamen, ubi toties ὁ θεὸς cum articulo determinato Saidice est ⲡⲛⲟⲩⲧⲉ, Memphitae habent ⲫⲛⲟⲩϯ? Cur in quo uno composito articulus idem manet, pro Saidico ⲡⲁⲡⲛⲟⲩⲧⲉ (*qui Dei est, ad Deum pertinens, divinus, devotus*) scribunt ipsi ⲡⲁⲫϯ? Nonne profecto quia istud ⲫϯ compendio ⲫⲛⲟⲩϯ est? Legere igitur nihil dubites e. g. Psalm. XLIX, I. ⲫϯ ⲛ̀ⲛⲓⲛⲟⲩϯ ⲡⲟ̄ⲥ̄ *fnuti-n ninuti psjois*, quod Thebaidice est ⲡⲛⲟⲩⲧⲉ ⲛ̀ⲛ̀ⲛⲟⲩⲧⲉ ⲡϫⲟⲉⲓⲥ *pnute-n nenute pegiois*; ὁ θεὸς τῶν θεῶν ὁ κύριος. Nam quae contra Kircherus et Wilkinsius, quam infirma? Ille nunquam se reperisse ait ⲫⲛⲟⲩϯ, sed ⲡⲓⲛⲟⲩϯ saepe saepius. Credo invenit ⲡⲉⲛⲟⲩⲧⲉ. Sed quid? Negatne recte Memphitice ante ⲛⲟⲩϯ articulum adhiberi ⲫ? At statim initio Geneseos habemus v. 2 ⲫⲛⲟⲩⲛ (*l'abisso*) et alibi sexcenties ⲫⲛⲏⲃ (*il padrone*) ⲫⲛⲟⲃⲓ (*il peccato*) etc. Quin, quod omnem

superat vetustatem codicum, ⲡⲁⲫϯ, Ⲡⲁⲫⲛⲟⲩϯ *Paphnutio* nomen fuit, discipulo Divi Antonii, Episcopo in Synodo Nicaena spectatissimo. Itaque de articulo ⲫ ante ⲛⲟⲩϯ res in tuto est. Wilkinsius objicit ⲛⲟⲩϯ esse Nηίϑ, ⲫϯ autem vetus Dei nomen *in multis auctoribus scriptum Phtha*. Sed hujus rectum non *Phtha* est, sed *Phthas* φϑᾶς, tam La-Crozio, quam Jablonskio ⲫⲑⲁϣ. Nηίϑ vero La-Crozio ⲛⲁⲏⲑ, Jablonskio est ⲛⲉⲓⲑ (*a*), et objecta a Wilkinsio non ratio aut difficultas est, sed conjectura, quae nullâ veri specie se commendat. Incommode autem accidit, quod aliorum errata me brevem esse non siverint.

Taurini IV Kal. Decembres 1781.

(*a*) Vide hujus *Panth. Aegypt.* lib. II cap. I et III.

ADDITAMENTUM
GRAMMATICUM
SIVE
RUDIMENTI
LITERATURAE COPTICAE
PARS POSTERIOR.

Quandoquidem superior exiguus labor, quo sum conatus illustrare Alphabetum Aegyptiacum, secus ac putabam, prodit solus, molem augere aliquantulum juvat atque utilitatem libri appendice, in quâ mihi propositum est de eâdem fideliâ, quod ajunt, duos parietes dealbare, atque ita primis aliquot initiis grammaticis Linguae Copticae, veluti primis lineis informare imaginem ingenii ejus, ut unâ eâdemque operâ et ejus demonstretur nativa disjunctio a Graecâ atque ab Hebraeâ, et aperiatur aditus, quo per se quisque possit accedere ad hauriendam a quovis Coptico textu collato cum interpretatione vel fonte do-

ctrinam sermonis, cujus adhuc oppido rara copia est praeceptorum.

Quem cum nego affinem cognatumque vel Graeci vel Hebraei, non id aio nihil esse ipsi cum his commune. Habent enim profecto Copti Graecas dictiones magno numero, sed adscititias, nec plerasque necessarias, cum suppetat Aegyptium vocabulum, ac nullo significationis discrimine veniant e. g. ⲥⲁϫⲓ et ⲗⲟⲅⲟⲥ, ⲁϥ et ⲥⲁⲣⲝ, ⲛⲓϥⲓ et ⲡⲛⲉⲩⲙⲁ, ⲣⲉϥⲥⲟⲗⲥⲉⲗ et ⲡⲁⲣⲁⲕⲗⲏⲧⲟⲥ, ⲣⲉϥⲉⲣⲛⲟϩⲉⲙ vel ⲣⲉϥⲧⲟⲩϫⲉ et ⲥⲱⲧⲏⲣ, ⲣⲉϥϯⲱⲙⲥ, et ⲃⲁⲡⲧⲓⲥⲧⲏⲥ, ⲙⲁⲥⲛⲟⲩϯ et ⲑⲉⲟⲧⲟⲕⲟⲥ, ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ et ⲁⲅⲓⲟⲥ, ⲟⲩⲏⲃ et ⲓⲉⲣⲉⲩⲥ, ⲭⲁϫⲓϫ et ⲭⲓⲣⲟⲧⲟⲛⲓⲁ, ⲥⲁϧ et ⲅⲣⲁⲙⲙⲁⲧⲉⲩⲥ, ϣⲟⲃⲓ et ϩⲩⲡⲟⲕⲣⲓⲧⲏⲥ, ϣⲗⲏⲗ et ⲡⲣⲟⲥⲉⲩⲭⲏ, ϩⲙⲟⲧ et ⲭⲁⲣⲓⲥ, ϩⲓϣⲉⲛⲛⲟⲩϥⲓ et ⲉⲩⲁⲅⲅⲉⲗⲓⲟⲛ, ⲟⲩⲧⲁϩ et ⲕⲁⲣⲡⲟⲥ, ϫⲣⲟϫ et ⲥⲡⲉⲣⲙⲁ, ϣⲗⲟⲗ et ⲉⲑⲛⲟⲥ, ⲃⲁⲕⲓ et ⲡⲟⲗⲓⲥ etc. etc.

At forma ipsa, quam voces Graecae in oratione Copticâ servant immutatam, satis declarat eas peregrinas in Aegypto

esse, ac naturâ dissimiles Aegyptiarum. Assumitur nomen Graecum plerumque recti casus, numeri singularis, quod nullâ deinde casus numerique habitâ ratione adhibetur tamquam indeclinabile. Nonnumquam genitivus occurrit, dativus raro admodum, saepius vocativus, omnes plane Graeci. Adjectivorum primus casus plerumque neutrius generis usurpatur quovis genere, numero, casu. Masculina quorundam aut feminina forma occurrit, sed utraque pura puta Graeca. Verborum infinitivus assumitur tamquam nomen actionis, cui praefigitur verbum ⲓ̀ⲣⲓ, ⲉⲣ *facere*, *fieri*, atque ut a *χρεία* fit ⲉⲣⲭⲣⲓⲁ̀ *opus esse* (*far bisogno*) ab *ἐλπὶς* ⲉⲣϩⲉⲗⲡⲓⲥ *sperare*; ita a *πλάζειν* fit ⲉⲣⲡⲗⲁⲍⲓⲛ, a *πειράζειν* ⲉⲣⲡⲓⲣⲁⲍⲓⲛ, a *παραβαίνειν* ⲉⲣⲡⲁⲣⲁⲃⲉⲛⲓⲛ, ab *ἀπαντᾷν* ⲉⲣⲁ̀ⲡⲁⲛⲧⲁⲛ, a *τιμᾷν* ⲉⲣⲧⲓⲙⲁⲛ, ab *ἀιτεῖν* ⲉⲣⲉ̀ⲧⲓⲛ, a *φορεῖν* ⲉⲣⲫⲟⲣⲓⲛ, a *μετανοεῖν* ⲉⲣⲙⲉⲧⲁⲛⲟⲓⲛ, a *μαστιγόειν* ⲉⲣⲙⲁⲥⲧⲓⲅⲅⲟⲓⲛ, atque itidem a *προσεύχεσθαι*, *σκανδαλίζεσθαι* ⲉⲣⲡⲣⲟⲥⲉⲩⲭⲉⲥⲑⲉ, ⲉⲣⲥⲕⲁⲛⲇⲁⲗⲓⲍⲉⲥⲑⲉ etc. etc.

ejusdem singula significationis cum Graeco, unde sunt ducta. In quibus neminem moretur ⲉ scriptum pro *αι*, et ⲓ pro *ει*. Jam enim vel ante Alphabetum monui ita consuesse Memphitas, quorum dialectum nunc solam respicio, dicturus de Saidica sub finem paucis. Igitur Memphitae Graecum infinitum assuunt nihil mutatum Aegyptio verbo ⲉⲣ, quod variant deinde conjugantque propriâ ipsorum ratione praefixis notis personarum, temporum, ac modorum, quarum nihil simile Graecia novit.

Universe autem voces Graecae in textu Coptico statim internoscuntur, ipso quasi vultu profitentes peregrinitatem suam. Paucarum ea forma est, ut nescias utrum Graecis Aegyptii dederint, an debeant, velut ⲑⲏⲃⲓ *θίβη* *fiscella plexa in modum arculae*, ϩⲟϥ *ὄφις*, ⲕⲉⲗⲓ *σκέλος*, ⲉⲗ, idem quod ⲟⲗ ⲱⲗⲓ, *ἑλεῖν*, ⲱⲣⲕ *ὅρκον ὀμνύναι*, ⲥⲁⲃⲉ *σοφὸς*, ϩⲏⲧ *ἦτορ*, ⲥⲏϥⲓ *ξίφος*, ϭⲟⲗ, et ϣⲱⲗ *συλᾶν* etc. Sed hujusmodi sunt omnino pauca, et pauciora etiam, quorum similitudo

neque levis habenda sit, neque fortuita. Accidit enim interdum ut sono ac significatione sint proximae voces a fontibus longissime dissitis derivatae, velut a מכתר סתר, *μυστήριον* a *μύω*: nec sanus quisquam eo quod ⲫⲁⲧ *pes* Anglis est *foot*, et ⲕⲁϣ *frangere* Gallis *casser*, communem statim verbis Aegyptiis, Anglicis, Gallicis originem tribuet.

Aegyptia aliquanto plura sunt, quae manasse indidem videantur unde Hebraea, quam unde Graeca. Nam ϭⲟⲗ; ϣⲱⲗ, quae modo comparabam cum *συλᾶν*, conveniunt cum שלך, et quod cum *ἑλεῖν* contuli, ⲉⲗ, ⲱⲗⲓ *tollere* conjunctius est quam Graeca *αἴρειν* atque *ἀιρεῖν*, cum ⲁⲗⲉ, ⲁⲗⲏⲓ עלה *ascendere*, et ⲥⲏϥⲓ *ξίφος* linguarum est Hebraicae affinium سيف, ܣܝܦܐ, unde סיף, סיפס. Conveniunt ⲑⲏⲃⲓ ac חבה; et quae duae significationes in חום, חמם conjunguntur aestus atque nigredinis, earum haec in ⲭⲁⲙⲏ cernitur, illa in ϧⲙⲟⲙ; et ⲫⲱⲣϣ ac ϣⲉⲙϣⲓ idem fere sunt ac פרש *expandere*, et Chaldaeo-Syro-Sama-

ritanum שמש *ministrare*. Ⲁⲛⲟⲕ est אנכי *ego*, ϣⲃⲱⲧ שבט *ramus*, ⲥⲱⲕ שק *saccus*, ⲉⲃⲓⲏⲛ אביון *egenus*, ⲓ̀ⲁ̀ⲣⲟ, ⲓⲟⲣ יאר *fluvius*, ⲓⲟⲙ ים *mare*, ⲙⲱⲟⲩ מים *aqua*, ⲙⲟⲩ, ⲙⲱⲟⲩⲧ מות *mors*, *mortuus*, ⲟⲩⲟϩ ו *et* conjunctio, ⲥⲛⲁⲩ שנים *duo*, ϣⲙⲟⲩⲛ שמונה *octo*, ϫⲱⲓⲧ זית *olea*, ⲉⲓⲟⲩⲗ איל *cervus*, ϫⲁⲙⲟⲩⲗ גמל *camelus* جمل pronunciatione Arabicâ, quâ fortasse ⲟⲩⲟ̀ϫⲓ *gena* est وجه *facies*. Adde ⲥⲫⲟⲧⲟⲩ שפתים *labra*, ⲗⲁⲥ לשון *lingua*, tum ⲫⲓ *osculum*, ⲁⲫⲉ *caput*, quae conferri possunt cum פה *os*, אף *nasus*, *vultus*, etc.

Sed haec cum non omnia satis liquido communi de fonte fluunt, tum longe pauciora sunt quam ut eorum inductione efficiatur agnoscendam esse universe Coptici Hebraeique sermonis cognationem proximam. Nam de longinqua non contendo, quâ probabile multis argumentis fit linguas etiam diversissimas attingere se invicem omnes, ultimo genere prognatas unâ eademque primaevâ. De quâ originis antiquissimâ communione nihil disputo. Sed cum su-

boles Israëlis in Aegypto succreverit, ubi tandiu *linguam quam non noverat audivit*, verisimile omnino est inde cum ceterâ praedâ voces etiam aliquot extulisse, cujusmodi arbitror אנכי et יאר, quas Arabes ignorant ac Syri. Verisimile item e contrario quaedam esse vocabula ex finitimo Oriente commerciis frequentibus in Aegyptum invecta, ut ⲉⲃⲓⲏⲛ, ⲉⲓⲟⲩⲗ, ϫⲁⲙⲟⲩⲗ, ϫⲱⲓⲧ.

Quare pauca modo superesse arbitror vestigia conjunctionis alicujus quasi avitae in verbis non assumtis, sed ingenitis utrique linguae, Israëlis et Pharaonum. Fateor enim superesse quaedam, nec videri mihi ו *et*, conjunctionem crebram adeo in dialectis omnibus Hebraicae affinibus acceptam referendam Aegypto esse, neque peregrinum in Aegypto habendum ⲟⲩⲟϩ, cujus conjugatum verbum ⲟⲩⲁϩ *addere, adjungere, pergere* הוסיף, cum tritum ipsum sit; tum multis vocibus componendis frequentetur. Et etiam magis movent me notae personarum suffigendae vocibus,

eaedem fere utrique genti. Sed ut intelligatur quatenus conjunctio haec avita pertineat, utriusque linguae constitutio intima cognoscenda est: quarum altera cum a sexcentis grammaticis ubique prostet illustrata, altera tantummodo nobis erit hic breviter attingenda.

Igitur, ut hinc ordiar, Aegyptii, meâ quidem sententiâ, optime omnium duo tantum genera distinguunt in dictionibus, numeros duos, ac nullam unquam generis in plurali rationem habent, neque in singulari personâ primâ, cum sexus loquentis suâpte naturâ definitus, plurium sit plerumque promiscuus. Discernunt autem genera nominum articulis singularibus, masculino ⲡⲓ ὁ *il*, ⲡⲓⲛⲟⲙⲟⲥ ὁ νόμος, fem. ϯ ἡ *la*, ϯⲇⲓⲁⲑⲏⲕⲏ ἡ διαθήκη; quae confundunt plurali ⲛⲓ οἱ vel αἱ, ⲛⲓⲙⲁⲑⲏⲧⲏⲥ οἱ μαθηταὶ, ⲛⲓⲡⲗⲁⲝ αἱ πλάκες. Usurpant autem passim ⲡ et ⲫ pro ⲡⲓ, unde nullo discrimine veniunt ⲡⲕⲁϩⲓ et ⲡⲓⲕⲁϩⲓ ἡ γῆ, ⲡⲓⲣⲱⲙⲓ et ⲫⲣⲱⲙⲓ ὁ ἄνθρωπος; item ⲧ ac ⲑ pro ϯ, unde ϯⲥϩⲓⲙⲓ ac

ⲧⲥϩⲓⲙⲓ ἡ γυνὴ, ϯⲃⲁⲕⲓ, ⲧⲃⲁⲕⲓ, ⲑⲃⲁⲕⲓ ἡ πόλις. Neque tamen ubique ⲡⲓ, ⲡ, ⲫ, aut ϯ, ⲧ, ⲑ sunt aeque usitatae, sed adspiratae ut plurimum ante ⲃ, ⲟⲩ, ⲙ, ⲛ, ⲣ. Neque adeo temere scripserim ⲫϩⲟ pro ⲡϩⲟ τὸ πρόσωπον, ⲑⲫⲉ pro ⲧⲫⲉ ὁ οὐρανός, ⲑⲕⲟⲓ pro ⲧⲕⲟⲓ ὁ ἀγρὸς, vel contra ⲧⲙⲁⲩ pro ⲑⲙⲁⲩ ἡ μήτηρ, ⲡⲛⲟⲩϯ pro ⲫϯ ὁ Θεὸς, ⲡⲣⲏϯ pro ⲫⲣⲏϯ ὁ τρόπος *modus*, et quamquam memini me legere ⲡⲟⲩⲏⲃ ὁ ἱερεὺς, malim tamen ⲡⲓⲟⲩⲏⲃ, vel ⲫⲟⲩⲏⲃ. Sed haec praeceptis includere longum esset. Usus spectandus; quo etiam fit ut quaedam ambigua articulo discernantur, veluti ⲡⲓⲱⲧ ἡ κριθὴ *ordeum*, ⲫⲓⲱⲧ ὁ πατήρ.

Atque haec de articulo definitivo; alter infinitus est ⲟⲩ, vox utriusque generis, ejusdem significationis cum Graecis τις, τι. Nam in quaestionibus ⲟⲩ est τίς, τί *quis, quid*, e. g. ⲟⲩ ⲡⲉ ⲡϯⲙⲁϯ ⲙ̀ⲡⲭ̅ⲣ̅ⲥ̅ ⲛⲉⲙ ⲃⲉⲗⲓⲁⲣ ⳾ II Cor. VI, 15: *Quae est concordia Christo cum Beliale?* Cum vero vicem explet articu-

li, tum Italice reddi potest *uno, una*. Nam cum ⲡⲓⲁ̀ⲗⲟⲩ ϯⲁ̀ⲗⲟⲩ sint ὁ καὶ ἡ παῖς, est ⲟⲩⲁⲗⲟⲩ *un ragazzo, una ragazza*, cum ⲡⲓⲏⲓ vel ⲡⲏⲓ sit ὁ οἶκος, est ⲟⲩⲏⲓ *una casa*, atque ita ⲟⲩⲣⲱⲙⲓ *un uomo*, ⲟⲩⲥϩⲓⲙⲓ *una donna*; quamquam saepe rectius interpretabere Graece atque Italice omisso articulo ⲟⲩϫⲟⲙ δύναμις *forza*, ⲟⲩϯⲙⲁϯ εὐδοχία *compiacimento*, ⲟⲩⲓⲱⲧ ⲛ̀ⲧⲁϥ ⲛⲉⲙ ⲟⲩⲙⲁⲩ ⲛ̀ⲧⲁϥ *suo padre, e sua madre*. Plurale habet ϩⲁⲛ, unde ϩⲁⲛⲣⲱⲙⲓ ἄνθρωποι *uomini*, ϩⲁⲛⲙⲁⲩ μητέρες *madri*.

Ex articulis definitivis atque ⲁⲓ, quae vox fortassis *effectum, opus, rem* notabat, fiunt ⲡⲁⲓ, ⲫⲁⲓ *hic, is*, ⲧⲁⲓ, ⲑⲁⲓ *haec, ea*, ⲛⲁⲓ *hi* vel *hae*, atque inde ⲫⲁⲓ ⲉ̀ⲧ, pro quo ut plurimum ⲫⲏ ⲉ̀ⲧ, vel contracte ⲡⲉⲧ *is qui*, aut verius Italice *quello, che*, ⲧⲁⲓ ⲉ̀ⲧ, vel ⲑⲏ ⲉ̀ⲧ, ⲧⲉⲧ *quella che*, ⲛⲁⲓ ⲉ̀ⲧ, ⲛⲏ ⲉ̀ⲧ, ⲛⲉⲧ *quelli* o *quelle, che*. Horum affinia ⲡⲉ, ⲧⲉ, ⲛⲉ respondent Hebraicis הוא, היא, הם, הנה, vertenda passim verbo substantivo *sum, es, est*, vel in

interpretatione omittenda: nam, ut obiter moneam ⲡⲉ, ⲧⲉ, ⲛⲉ post verborum imperfecta speciem habent redundantiae.

Ex articulo indefinito duci similiter potest ⲟⲩⲁⲓ, idem ferme quod ⲟⲩⲱⲧ, *unus*, ⲟⲩⲓ̀ *una*, atque inde ⲡⲓⲟⲩⲁⲓ, ⲡⲟⲩⲁⲓ, ⲫⲟⲩⲁⲓ *ὁ εἷς*, atque iteratum ⲫⲟⲩⲁⲓ ⲫⲟⲩⲁⲓ *unusquisque*, *singuli*, ϯⲟⲩⲓ̀ *ἡ μία*, ϯⲟⲩⲓ̀ ϯⲟⲩⲓ̀ *singulae*. Ex eodem ⲟⲩ *τις*, et ⲟⲛ *similiter*, *iterum*, *adhuc*, *etiam*, est ⲟⲩⲟⲛ Matth. XIX, 20 *τί ἔτι quid adhuc?* at alibi passim *aliquis item*, *rursus quidpiam*, aut simpliciter *quidam*, *quaedam*, vertendum interdum verbo substantivo, ⲟⲩⲟⲛ ϩⲁⲛⲟⲩⲟⲛ *sunt non nulli*. Animadvertendum autem est articulum articulo aliquando addi. Sic a ⲛⲟⲩ est ϯⲛⲟⲩ *nunc*, et ⲟⲩⲛⲟⲩ, ϯⲟⲩⲛⲟⲩ Ital. *un'ora*, *l'ora*.

Articulis definitivis notae quaedam adduntur personarum *possessivae*, quibus fit ⲡⲁ *ὁ ἐμὸς il mio*, ⲧⲁ *ἡ ἐμὴ la mia*, ⲛⲁ *οἱ*, vel *αἱ ἐμοῦ i miei*, *le mie*; e. g. ⲡⲁⲓⲱⲧ *pater meus*, ⲧⲁⲙⲁⲩ *mater mea*,

ⲛⲁϫⲓϫ *manus meae*. Et secundae personae cum virum alloquimur ⲡⲉⲕⲓⲱⲧ *pater tuus*, ⲧⲉⲕⲙⲁⲩ *mater tua*, ⲛⲉⲕϫⲓϫ *manus tuae*, cum vero mulierem ⲡⲉⲓⲱⲧ, ⲧⲉⲙⲁⲩ, ⲛⲉϫⲓϫ *tui pater, mater, manus*. Cetera brevius docebit sequens tabella.

ἐμοῦ	σοῦ *masc.*	σοῦ *fem.*	οὗ *masc.*	οὗ *fem.*	ἡμῶν	ὑμῶν	σφῶν
ⲡⲁ	ⲡⲉⲕ	ⲡⲉ	ⲡⲉϥ	ⲡⲉⲥ	ⲡⲉⲛ	ⲡⲉⲧⲉⲛ	ⲡⲟⲩ
ⲧⲁ	ⲧⲉⲕ	ⲧⲉ	ⲧⲉϥ	ⲧⲉⲥ	ⲧⲉⲛ	ⲧⲉⲧⲉⲛ	ⲧⲟⲩ
ⲛⲁ	ⲛⲉⲕ	ⲛⲉ	ⲛⲉϥ	ⲛⲉⲥ	ⲛⲉⲛ	ⲛⲉⲧⲉⲛ	ⲛⲟⲩ

Itaque ⲡⲉϥⲏⲓ est *domus ejus* viri, ⲡⲉⲥϩⲟ *facies ejus* feminae, ⲧⲉⲛⲕⲟⲓ *ager noster*, ⲧⲉⲧⲉⲛⲕⲟⲓ *ager vester*, ⲛⲟⲩⲃⲁⲕⲓ *urbes eorum*; neque est cur his amplius immorer, nisi ut moneam ⲛⲉⲛ, *οἱ* vel *αἱ* ἡμῶν, ambiguum evadere, quia saepe usurpatur pro simplici ⲛⲓ, et ⲛ̀ⲟⲩ cum accentu occurrere passim pro ⲛⲟⲩ *οἱ* vel *αἱ* αὐτῶν, quamquam rectius distingui arbitror, ut sit ⲛ̀ⲟⲩ singulare ex ⲛ̀ particulâ et ⲟⲩ articulo indefinito, ⲛ̀ⲟⲩⲟⲩⲏⲃ ἱερεῖ τινι, *a un sacerdote*, et ⲛⲟⲩ plurale ⲛⲟⲩⲟⲩⲏⲃ *sacerdotes eorum*, vel *earum*, *i loro sacerdoti*.

Sed magis cavendum est ne moretur quempiam usus alius praefixorum ⲡⲁ, ⲧⲁ, ⲛⲁ, quem attigi, quo loco explicavi ⲡⲁⲫϯ *qui Dei est*, aliud plane a ⲡⲁⲛⲟⲩϯ *Deus meus*. Nam ⲡⲁ, Memphitis saepius ⲫⲁ, cum praemittitur articulo, vel nomini, quod articulum non admittit, significat eum, qui, vel id, quod pertinet ad rem personamve, cujus nomen sequitur. Italice dixeris *il di*: ⲫⲁⲡⲁⲩⲗⲟⲥ *il di Pavolo*, qui Pauli est, Paulo studet atque obsequitur. Ⲫⲁⲡⲭ̅ⲥ̅ *qui Christi est*. Igitur ut a *νύμφη νυμφίος*, sic a ϣⲉⲗⲉⲧ *sponsa* fit ⲡⲁⲧϣⲉⲗⲉⲧ *ὁ τῆς νύμφης*, *sponsus*, additoque articulo ⲡⲓⲡⲁⲧϣⲉⲗⲉⲧ *ὁ νυμφίος*. Scribitur autem etiam sejunctum ⲫⲁ ⲡⲉϥⲓⲱⲧ *ὁ τοῦ πατρὸς ἀυτοῦ*. Ita cum ⲛⲓⲙ sit *quis*, est ⲑⲁ ⲛⲓⲙ *cujus haec?* quasi foret Italice *la di chi?* Pluralis exempla sunto ⲛⲁⲡⲟⲩⲣⲟ *quae sunt regis*, ab ⲟⲩⲣⲟ *rex*, ⲛⲁⲡϣⲱⲓ *res supernae*, a ⲡϣⲱⲓ *τὸ ἄνω*, ⲛⲁⲉ̀ⲫⲉⲥⲟⲥ *Ephesii*.

Atque ex hoc ⲫⲁ fit ⲫⲱⲓ *il di me*, *meus*, ⲫⲱⲕ *tuus*, quemadmodum a ⲥⲁ̀

pars, *latus*, ⲛ̀ⲥⲁ *versum*, *erga*, *adversus*, *post*, fit ⲛ̀ⲥⲱⲓ *versus me* (*alla mia volta*) unde compositum ⲙⲉⲛⲉⲛⲥⲁ *post*, ⲙⲉⲛⲉⲛⲥⲱⲓ *post me*, quorum sunt affixa

Singularis

1. ⲛ̀ⲥⲱⲓ 2. { masc. ⲛ̀ⲥⲱⲕ / fem. ⲛ̀ⲥⲱ } 3. { masc. ⲛ̀ⲥⲱϥ / fem. ⲛ̀ⲥⲱⲥ }

Pluralis

1. ⲛ̀ⲥⲱⲛ 2. ⲛ̀ⲥⲱⲧⲉⲛ 3. ⲛ̀ⲥⲱⲟⲩ

Quemadmodum ⲉ̀ϫⲱⲓ *super me*, ϩⲓϫⲱⲓ *super me*, *in me*, ⲟⲩⲧⲱⲓ *inter me* etc. habent ⲉ̀ϫⲱⲕ, ϩⲓϫⲱⲕ, ⲟⲩⲧⲱⲕ etc. Atque ita ⲫⲱϥ masc. ⲫⲱⲥ fem. *ejus*, *suus*, *il di lui*, *il di lei*, ⲫⲱⲛ *noster*, ⲫⲱⲧⲉⲛ *vester*, ⲫⲱⲟⲩ *ὁ αὐτῶν*. Similiter ex feminino ⲑⲁ fit ⲑⲱⲓ *mea*, ⲑⲱⲕ *tua* etc.

Sed aliud est plurale possessivum ⲛⲟⲩ̀ⲓ *mei*, *meae*, ⲛⲟⲩⲕ *tui*, *tuae*, ⲛⲟⲩϥ masc. ⲛⲟⲩⲥ fem. *ejus*. Atque aliud adhuc quasi possessivum est, quod respondet genitivis pronominum personarum Latinis, conflatum addendis suffixis particulae ⲛ̀ⲧⲉ, proximae significatione, ut sono, particulis Chaldaeae, Syrae, Sa-

maritanae ד, Italicae *di*, unde ⲛ̀ⲧⲏⲓ *μοῦ*, *mei*, *di me*, ⲛ̀ⲧⲁⲕ *tui*, *di te*.

Sed rectos casus personarum praemittamus, qui, primâ exceptâ singularis ⲁ̀ⲛⲟⲕ *ego*, et pluralis ⲁ̀ⲛⲟⲛ *nos*, fiunt notis personarum suffixis voci ⲛ̀ⲑⲟ, quae videtur concrevisse ex ⲛ̀, ac ⲑⲟ pro ⲧϩⲟ, cum ⲛ̀ⲑⲟ idem sit origine, quod ⲙ̀ⲑⲟ, unde passim ⲙ̀ⲡⲉⲙⲑⲟ לפני *in conspectu*, *coram* (*in faccia*). Nam esse interdum ⲑ ex ⲧϩ, cum aliis potest exemplis confirmari, tum duobus in primis ⲑⲏ, ⲑⲉ ex ϩⲏ *pars anterior*, *principium*, et ϩⲉ *instar*, *modus*, quae voces cum ϩⲟ communem habent originem ϩⲓ *βάλλειν jácere*, communemque notationem *objecti* incidentis in obtutus, et occurrentis, adeoque antecedentis ac primi. Unde ϩⲑⲏ *attendere*, proprie est ϩⲓ-ⲧϩⲏ *conjicere conspectum*, *et os advertere atque adeo animum*; et Saidica ⲛ̀ⲑⲉ, ⲕⲁⲧⲁⲑⲉ *ad instar*, *quemadmodum* possumus interpretari לפני *ad faciem* auctoribus Schultensio ad Job IV, 19 pag. 121, et Plauto Cistell. I, 1, 73: *Ad*

istam faciem est morbus, qui me, mea Gymnasium, macerat. Usurpatur autem ϩⲟ, πρόσωπον *facies*, *persona*, cum articulo masculino ⲡϩⲟ, non ⲧϩⲟ, unde suspicari licet ⲧ in ⲑⲟ non esse articulum, sed idem quod ϯ *dare*, quod usu venit in ϯϩⲟ ἀντιβολεῖν *precari*, *supplicare*, proprie *dare vultum*, convertere se ad aliquem (*rivolgersi*, *ricorrere*). Sed hujus loci non est subtilior veriverbii ac prolixior interpretatio, quam indicare tantum volui ne quis ⲛ̀ⲑⲟⲕ masc. ⲛ̀ⲑⲟ fem. *tu*, et ⲛ̀ⲑⲱⲧⲉⲛ *vos* derivet ab את, ܐܢܬ, أنت, אתן, ܐܢܬܘܢ, أنتن, quae forent potius ab Aegyptiacis ducenda: quamquam verius puto in comparatione suffixorum consistere, quorum pleraque communi de fonte fluxisse in Hebraicum Aegyptiumque sermonem verisimile profecto est. Sed jam ipsa pronomina subjiciamus oculis tam absoluta, et quasi recto casu, quam suffixa particulis explentibus vicem casuum obliquorum, omisso quinto, cujus nota Coptis eadem, quae Graecis ac nobis, est ὠ.

Casus	Singularis numeri Personae.			Pluralis numeri Personae.		
	Prima	Secunda	Tertia	Prima	Secunda	Tertia
I.	ⲁ̀ⲛⲟⲕ	ⲛ̀ⲑⲟⲕ m. ⲛ̀ⲑⲟ f.	ⲛ̀ⲑⲟϥ m. ⲛ̀ⲑⲟⲥ f.	ⲁ̀ⲛⲟⲛ	ⲛ̀ⲑⲱⲧⲉⲛ	ⲛ̀ⲑⲱⲟⲩ
II.	ⲛ̀ⲧⲏⲓ	ⲛ̀ⲧⲁⲕ m. ⲛ̀ⲧⲉ f.	ⲛ̀ⲧⲁϥ m. ⲛ̀ⲧⲁⲥ f.	ⲛ̀ⲧⲁⲛ	ⲛ̀ⲧⲱⲧⲉⲛ	ⲛ̀ⲧⲱⲟⲩ
III.	ⲛⲏⲓ	ⲛⲁⲕ m. ⲛⲉ f.	ⲛⲁϥ m. ⲛⲁⲥ f.	ⲛⲁⲛ	ⲛⲱⲧⲉⲛ	ⲛⲱⲟⲩ
IV.	ⲙ̀ⲙⲟⲓ	ⲙ̀ⲙⲟⲕ m. ⲙ̀ⲙⲟ f.	ⲙ̀ⲙⲟϥ m. ⲙ̀ⲙⲟⲥ f.	ⲙ̀ⲙⲟⲛ	ⲙ̀ⲙⲱⲧⲉⲛ	ⲙ̀ⲙⲱⲟⲩ
VI.	ⲛ̀ϧⲏⲧ	ⲛ̀ϧⲏⲧⲕ m. ⲛ̀ϧⲏϯ f.	ⲛ̀ϧⲏⲧϥ m ⲛ̀ϧⲏⲧⲥ f.	ⲛ̀ϧⲏⲧⲉⲛ	ⲛ̀ϧⲏⲧⲉⲛ- ⲑⲏⲛⲟⲩ	ⲛ̀ϧⲏⲧⲟⲩ

Praeterea frequens est ⲑⲏⲛⲟⲩ in casibus obliquis *vestrum, vobis, vos,* unde ⲛ̀ϧⲏⲧⲉⲛⲑⲏⲛⲟⲩ *in vobis*. Attuli autem pro sexto casu ⲛ̀ϧⲏⲧ *in*, quia ⲛ̀ⲧⲟⲧ, quod aliquando est *ab, de,* plerumque significatione longius abit, et ϩⲓⲧⲉⲛ, ⲉ̀ⲃⲟⲗϩⲓⲧⲉⲛ, ⲓⲥϫⲉⲛ, ⲉ̀ⲃⲟⲗϧⲉⲛ, *ab, ex, de* minus erant utilia exponendae oculis varietati suffixorum, quam unice in tabellâ spectavi. Neque enim particulae, quas haec refert cum suffixis, constanter satis respondent Latinis casibus, sed ⲙ̀ⲙⲟⲓ ⲙ̀ⲙⲟⲕ vertendum saepe dativo *mihi, tibi* etc.; saepe accusativum adhibendum ⲉ̀ⲣⲟⲓ *me*, quod proprie est *ad os meum* לפי, ut ϩⲁⲣⲟⲓ אל־פי *ad me*, ϧⲁⲣⲟⲓ על־פי *super me*, tam ὑπὲρ ἐμοῦ, quam *adversus me*, a ⲣⲟ, ⲣⲱ *os, ostium*, *ipsemet*, ut a ⲧⲟⲧ *manus* est ⲛ̀ⲧⲟⲧ ביד *per, ab*. Sed particularum originem et pene infinitam usus varietatem explicare longum esset. Analogiae intelligendae satis erit advertisse ⲉ̀ⲣⲟⲓ, ϩⲁⲣⲟⲓ, ϧⲁⲣⲟⲓ mutari suffixis planissime, ut ⲙ̀ⲙⲟⲓ; ⲛ̀ⲧⲟⲧ, ⲛ̀ⲧⲟⲧⲕ, ut ⲛ̀ϧⲏⲧ, hoc

praecipuo discrimine, quod primae personae inservit nuda particula ⲛ̀ϩⲏⲧ, quae adeo est ambigue nunc *in* simpliciter, nunc *in me*; ⲓ autem additur pro secundâ femininâ ⲛ̀ϩⲏϯ *in te*, cum in aliis ⲓ suffigatur primae (ⲙ̀ⲙⲟⲓ) et nuda particula (ⲙ̀ⲙⲟ) tribuatur secundae femininae. Haud aliter in verbis ac pronominibus Hebraeis *jod* in fine nota interdum est primae personae, interdum secundae sexus sequioris. Imitantur autem ⲛ̀ϩⲏⲧ non modo cetera, quae desinunt in ⲧ, ut ⲉ̀ⲣⲁⲧ *ad pedem*, quod idem ⲉ̀ⲣⲁⲧ est *ad pedes meos* vel simpliciter *ad me*, ⲉ̀ⲣⲁⲧⲕ, ⲉ̀ⲣⲁϯ etc.; sed etiam ϩⲱ, quod origine idem est atque ϩⲟ *facies, persona*, vertitur autem recte plerumque *et ipse*; ϩⲱ *etiam ego*, ϩⲱⲕ *tute ipse*, ϩⲱⲓ *ipsa etiam tu*, ϩⲱϥ *ipse is*, ϩⲱⲥ *et ipsa*, ϩⲱⲛ *ipsi nos*, ϩⲱⲧⲉⲛ *ipsi vos*, ϩⲱⲟⲩ *etiam hi*. Tantum Latini casus, quos rectos apposui, sunt in versione variandi, ut contextus postulat, ususque linguae Latinae.

Nam, quod Varro jam monuit (*) Aegyptiorum vocabula singulis tantum dicuntur casibus, ac non modo eorum, qui peculiariter vocantur casus, declinatione carent, ut Hebraei, sed nec genus, nec numerum mutandâ terminatione discriminant. Quamquam sunt formae nominum interdum pro sexu diversae, ut ϣⲏⲣⲓ *filius*, ϣⲉⲣⲓ *filia*, ⲥⲟⲛ *frater*, ⲥⲱⲛⲓ *soror*, ⲟⲩⲣⲟ *rex*, ⲟⲩⲣⲱ *regina*, ⲃⲱⲕ *servus*, ⲃⲱⲕⲓ *ancilla*, ϩⲟⲩⲓⲧ *primus*, ϩⲟⲩⲓ̀ϯ *prima*, ϫⲉⲧ *alius*, ϫⲉϯ *alia*, et cetera, quae docebit usus. Ac satis multa pluralis diversitate gaudent, aucti plerumque paragogicis ⲓ, ⲟⲩ, ⲟⲩⲓ̀, quarum gratiâ saepe aliquid praeterea mutatur in vocibus, quas Copti cum augent in fine, contrahere amant omissâ vel breviatâ literâ aliquâ praecedenti. Non nunquam tamen variant aliter, ut exemplis sequentibus perspicuum fiet.

Habent igitur, additâ ⲓ, ⲙⲁ *locus*, ⲣⲁⲙⲁⲟ̀ *dives*, ϧⲉⲗⲗⲟ *senex*, pluralia

---

(*) *De Lingua Latina* lib. VII.

ⲙⲁⲓ, ⲣⲁⲙⲁⲟⲓ, ϧⲉⲗⲗⲟⲓ; ⲁ̀ⲫⲱⲫ *gigas*, ⲉ̀ϣⲱⲧ vel ϣⲱⲧ *negotiator*, ⲓⲱⲧ *pater*, ϣⲃⲱⲧ *ramus*, pluralia ⲁ̀ⲫⲟⲫⲓ, ⲉ̀ϣⲟϯ vel ϣⲟϯ, ⲓⲟϯ, ϣⲃⲟϯ; ϩⲁⲗⲏⲧ *avis*, plur. ϩⲁⲗⲁϯ; ⲙⲉⲛⲣⲓⲧ *dilectus*, ⲟⲩⲣⲓⲧ *custos*, ϩⲟⲩⲓⲧ *primus*, plur. ⲙⲉⲛⲣⲁϯ, ⲟⲩⲣⲁϯ, ϩⲟⲩⲁ̀ϯ. Sed ⲁⲩⲗⲏ, αὐλὴ, plur. ⲁⲩⲗⲏⲟⲩ, ϣⲛⲉ *rete*, ϣϫⲉ *locusta*, plur. ϣⲛⲏⲟⲩ, ϣϫⲏⲟⲩ; et contracto ⲉⲟⲩ in ⲉⲩ, ⲃⲉⲗⲗⲉ *caecus*, ϭⲁⲗⲉ *claudus*, ⲥⲁⲃⲉ *sapiens*, ⲣⲉⲙϩⲉ *liber*, ϣⲁϥⲉ *desertum*, ϧⲁⲉ̀ *ultimus*, plur. ⲃⲉⲗⲗⲉⲩ, ϭⲁⲗⲉⲩ, ⲥⲁⲃⲉⲩ, ⲣⲉⲙϩⲉⲩ, ϣⲁϥⲉⲩ, ϧⲁⲉⲩ; ⲟ̅ⲥ̅ *dominus*, plur. ϭⲓⲥⲉⲩ; ⲏⲓ *domus*, ⲥⲟⲛ *frater*, plur. ⲏ̀ⲟⲩ, ⲥⲛⲏⲟⲩ; ⲉ̀ⲃⲟ *mutus*, ⲣⲟ *os*, ⲓ̀ⲁ̀ⲣⲟ *flumen*, ⲟⲩⲣⲟ *rex*, ⲙⲉⲧⲟⲩⲣⲟ *regnum*, ϣⲉⲙⲙⲟ *advena*, ϣⲧⲉⲕⲟ *carcer*, plur. ⲉ̀ⲃⲱⲟⲩ, ⲣⲱⲟⲩ, ⲓⲁ̀ⲣⲱⲟⲩ etc. omnia in ⲱⲟⲩ, quemadmodum et ⲁ̀ϣⲉ *multitudo*, ⲉ̀ϩⲉ *bos*, plur. ⲁϣⲱⲟⲩ, ⲉ̀ϩⲱⲟⲩ. Jam cum ⲟⲩⲓ̀, ⲁϥ *caro*, plur. ⲁϥⲟⲩⲓ̀; ⲁ̀ⲫⲉ *caput*, ⲫⲉ *caelum*, ϧⲣⲉ *cibus*, pl. ⲁ̀ⲫⲏⲟⲩⲓ̀, ⲫⲏⲟⲩⲓ̀, ϧⲣⲏⲟⲩⲓ̀; ⲥⲁϧ *scriba*, ϩⲱⲃ *opus*, plur. ⲥϧⲟⲩⲓ̀, ϩⲃⲏⲟⲩⲓ̀; ⲁ̀ϫⲱ *magus*, ⲥⲃⲱ

1

doctrina, plur. ⲁϫⲱⲟⲩⲓ̀, ⲥⲃⲱⲟⲩⲓ̀, itemque ⲉⲣⲙⲏ *lacryma*, ⲙⲟⲛⲏ *μονὴ*, ⲧⲉⲃⲛⲏ *pecus*, ⲁ̀ⲗⲟⲩ *puer*, ⲟⲩⲛⲟⲩ *hora*, plur. in ⲱⲟⲩⲓ̀ omnia, ⲉⲣⲙⲱⲟⲩⲓ̀, ⲁ̀ⲗⲱⲟⲩⲓ̀ etc., et ⲥⲫⲓⲣ *latus*, ⲙⲱⲓⲧ *via*, plur. ⲥⲫⲓⲣⲱⲟⲩⲓ̀, ⲙⲓⲧⲱⲟⲩⲓ̀. Sunt et quaedam plane anomala, velut ⲥϩⲓⲙⲓ *mulier*, plur. ϩⲓⲟ̀ⲙⲓ, ⲃⲱⲕ *servus*, plur. ⲉ̀ⲃⲓⲁⲓⲕ, ⲓⲟⲙ *mare*, plur. ⲓⲁ̀ⲙⲁⲓⲟⲩ, ⲁ̀ⲃⲟⲧ *mensis*, plur. ⲉ̀ⲃⲏⲧ, ⲁ̀ϩⲟ *thesaurus*, plur. ⲁ̀ϩⲱⲣ, quasi ex ⲁ̀ϩⲟⲣ, ut ab ⲟⲩϩⲟⲣ *canis*, plur. ⲟⲩϩⲱⲣ.

Sed haec, et quae plura corradere nihil attinet, habent quidem peculiarem vocis formam significatione plurali, sed quae nihil impedit, quin forma singularis pluraliter etiam usurpetur, velut ⲛⲓⲁ̀ⲃⲟⲧ *menses*, ⲛⲏⲓ *domus*, ⲛⲓⲁϥ *carnes*, ⲛⲓⲥⲁϧ *scribae*, ϩⲁⲛⲁ̀ϩⲟ *thesauri*, ϩⲁⲛⲥⲃⲱ *disciplinae*, ϩⲁⲛϧⲣⲉ *cibi* etc. Nulla igitur nominum declinatio est, nisi quae nunc potius derivatio appellaretur et compositio.

De quibus ut pauca etiam dicam, ⲡⲉⲧ, quod superius explicavi *is qui*,

ita adhaeret interdum dictioni sequenti, ut nomen unum evadat assumens articulum ⲡⲓⲡⲉⲧϩⲱⲟⲩ ὁ κακὸς, ⲡⲓⲡⲉⲑⲛⲁⲛⲉϥ ὁ ἀγαθὸς, in quo, ut obiter moneam, ⲑ pro ⲧ solemne Memphitis ante ⲙ, ⲛ, ⲣ, ⲃ, ⲟⲩ. Sed de ⲉ̀ⲧ, ⲉⲑ postea.

Ab ipso est ⲙⲉⲧ, quod nomina componit feminina, quae dicimus abstracta, ut ⲙⲉⲧⲉⲩⲥⲉⲃⲏⲥ *pietas*, ⲙⲉⲧⲃⲱⲕ *servitus*, ⲙⲉⲧϫⲁϫⲓ *inimicitia*, ⲙⲉⲧⲣⲉⲙϩⲉ *libertas*, etc. At nomina actionis, conferenda cum infinito nominaliter accepto, fiunt masculina praemisso ϫⲓⲛ, ut ab ⲓ̀ *venire*, ϫⲓⲛⲓ̀, ⲡⲓϫⲓⲛⲓ̀ τὶ ἔρχεσται, *il venire*, *adventus*, ϫⲓⲛⲙⲓⲥⲓ *generatio*, ϫⲓⲛⲑⲱⲟⲩϯ *congregatio* etc. Agentis nomen, sive auctoris habet ⲣⲉϥ, ut ⲣⲉϥⲑⲁⲙⲓⲟ̀ *creator*, ⲣⲉϥⲙⲓⲥⲓ *genitor* etc.; quod a ⲣⲉ *facere* ductum puto, unde etiam ⲣⲉⲙ, quod gentilia praestat, ac denominativa, ⲣⲉⲙⲛⲁⲍⲁⲣⲉⲑ *Nazarenus*, ⲣⲉⲙⲃⲉϫⲉ *mercenarius*, a ⲃⲉϫⲉ *merces*; nisi est ⲣⲉⲙ contractum a ⲣⲱⲙⲓ *homo*.

Sed ⲙⲁⲛ, quasi ⲙⲁ ⲛ̀, nomen loci exhibet, ⲙⲁⲛⲙⲟϣⲓ *locus ambulandi, semita*, ⲙⲁⲛⲫⲱⲧ *fugiendi locus, refugium* etc.. Excipe ⲙⲁⲛⲉ̀ⲥⲱⲟⲩ *opilio*, quod videtur duxisse ⲙⲁⲛ a ⲙⲟⲛⲓ, ⲡⲓⲙⲟⲛⲓ *pastor*. Ⲁⲧ privandi vim obtinet, ⲁⲧⲉ̀ⲙⲓ *sine scientiâ, ignarus*, ⲁⲧⲥⲛⲟϥ *sine sanguine, incruentus*, ⲁⲧⲙⲟⲩ, vel ⲁⲑⲙⲟⲩ ἀθάνατος, ⲁⲑⲛⲟⲩϯ ἄθεος. Ⲕⲉ est καὶ, unde Gen. III, 6 ⲁⲥϯ ⲙ̀ⲡⲉⲥⲕⲉϩⲁⲓ *dedit suo-etiam-viro*, sed plerumque interpretandum in compositis est *alius, alia, alium*, ⲕⲉⲛⲟⲩϯ *Deus alius*, ⲟⲩⲕⲉⲕⲟⲩϫⲓ *un altro poco*, ⲟⲩⲕⲉⲟⲩⲣⲟ *un nuovo re* etc.

Adde ⲙⲁⲓ a ⲙⲉⲓ *amare*, ⲙⲁⲥ a ⲙⲓⲥⲓ *párere*, ⲙⲁⲓⲛⲟⲩϯ φιλόθεος, ⲙⲁⲓⲣⲱⲙⲓ φιλάνθρωπος, ⲙⲁⲥⲛⲟⲩϯ θεοτόκος, ⲙⲁⲥⲟⲩⲧⲁϩ καρποτόκος etc.; et ab ⲟⲩⲁϩ *addere, iterare*, et ⲉⲙ pro ⲛ̀, ⲟⲩⲁ̀ϩⲉⲙⲙⲓⲥⲓ *regeneratio*, ⲟⲩⲁ̀ϩⲉⲙⲥⲱⲛⲧ *nova creatio*, et turbam compositorum a verbis ⲧ, ϯ *dare*, ϭⲓ *accipere*, ϩⲓ *jácere*, ϣⲉ *proficisci*, ϣⲉⲡ pro ϣⲏⲡ, ϣⲱⲡ, *suscipere*, aliisque haud paucis, unde ⲧⲥⲟ

dare potum, *far bere*, ϯⲥⲃⲱ *doctrinam tradere*, *docere*, ϭⲓⲥⲃⲱ *doctrinam accipere*, *discere*, ϩⲓⲱ̀ⲛⲓ *jácere lapides*, λιθοβολεῖν etc.. Adde ex duobus nominibus multa, ut ⲛⲉⲃⲏⲓ *pater-familias* a ⲛⲏⲃ *herus*, ⲏⲓ *domus*, ϥⲧⲉⲫⲁⲧ *quadrupes*, a ϥⲧⲟⲟⲩ *quatuor*, ⲫⲁⲧ *pes*, ⲟⲩⲉϫⲣⲟ *postes*, quasi dicas ⲟⲩⲟϫⲓ ⲣ̀ⲣⲱ *faciem ostii* etc. etc. Adde multipliciter composita, ut ⲙⲉⲧⲙⲁⲓⲣⲱⲙⲓ φιλανθρωπία, ⲙⲉⲧⲁⲑⲛⲁϩϯ *incredulitas*, a ⲛⲁϩϯ *fides*, ⲙⲉⲧⲁⲧⲙⲉⲧϣⲟⲃⲓ *sinceritas*, a ϣⲟⲃⲓ *hypocrita*; unde ea copia, et multiplicitas compositorum existit, ut vocibus componendis vel cum Graecia possit Aegyptus contendere.

Sed mihi ne praeter institutum prolixa haec scripsio evadat, properandum est ad explicationem verbi, quod Coptis plerumque idem etiam nomen est, ⲛⲁⲓ *misereri* et *misericordia*, ⲛⲁⲩ *videre* et *visio*, ⲙⲟⲩ *mori* et *mors* etc.; adhibetur autem nudum infinito, atque imperativo modo, ⲛⲁⲓ ⲛⲏⲓ *miserere mei*, ϧⲉⲛ ⲟⲩⲁ̀ⲣⲉϩ ⲁ̀ⲣⲉϩ ⲉ̀ⲣⲟⲓ ad literam *in custodire custodi me*. Alias variatur prae-

fixis literis, quarum quae personas designant, sunt eaedem, quae pronominibus vel articulis suffiguntur. Simplicissima autem earum ratio nihil addit verbo praeter consonam indicem personae, e. g. ĸ verbo οι *esse*, ut fiat κοι *es* masc.. Sic ϥοι masc., coι fem. *est*. Sed haec ratio ad ceteras personas non pertinet; quarum tertia pluralis habet ce a femininâ singulari c, ut adeo haec videri possit ab Aegyptiis usurpata pluraliter, quemadmodum solet ab Arabibus, velut cum dicunt المرء يخطي لا تخطي المقادير quod Graece licet vertere ὁ ἄνθρωπος ἁμαρτήσει, ὀυχ ἁμαρτήσει τὰ θέσφατα, Latine secundo loco plurale omnino est usurpandum *homo errat, non errant fata*. Ratio autem, et figura orationis eadem Aegyptiorum fuerit, quae Graecorum, cum vicem neutrius generis apud Aegyptios femininum expleat, ut apud Arabes atque Hebraeos. Pro ceteris personis notae ipsarum praemittendum est τe, quod sine ullo assumento inservit secundae femininae sing., cujus est indicium

absentia literae personalis. Vide Joan. xx 15 τεριⲙⲓ *fles*, a ριⲙⲓ *flere*, unde licet conjicere ejusdem Joan. xI, 26 legendum τεⲛⲁϩϯ *credis*, ubi editum τεⲛⲛⲁϩϯ *credimus*. Nam τεⲛ primae pluralis est, ut τετεⲛ secundae. Prima singul. pro τει habet ϯ. Sic itaque personarum notis variatur ex. gr. τωⲃϩ *vota facere*, ϯτωⲃϩ *obsecro*, κτωⲃϩ masc. τετωⲃϩ fem. *obsecras*, ϥτωⲃϩ masc. ⲥτωⲃϩ fem. *obsecrat*, τεⲛτωⲃϩ *obsecramus*, τετεⲛτωⲃϩ *obsecratis*, ⲥετωⲃϩ *obsecrant*. Sed a ⲙει *amare*, ϯⲙει *amo*, χⲙει *amas*, ut χⲙετὶ *cogitas*, χⲛⲁϩϯ *credis*, χοτωϣ *vis*, quia Memphitae ante hujusmodi literas utuntur aspiratis; quamquam interdum tenuem servant, ut Jacobi II, 19 κⲛⲁϩϯ etc.

Ceterum verba, quae ita solam praefixam habent notam personae, quamquam recte saepe vertuntur praesenti, sunt interdum participio, vel nomine verbali interpretanda. Atque hoc universe de meis dictionum quarumvis in-

terpretationibus monitum volo, multa aliter, atque aliter convertenda esse. Sed singulorum vis varia non nisi multis verbis explicari potest, atque ingenti copia exemplorum. Nos grammaticam non scribimus, sed rudimentum ejus inchoamus. Quare conjugationem breviter prosequemur.

Literis indicibus personarum index temporis praemittitur praesentis ⲉ, praeteriti ⲁ. Huic pro imperfecto praeponitur ⲛ; pro futuro autem aliud praesenti inseritur ⲉ̀ post notam personae. Praeterea secundis personis femininis ac pluralibus inseritur secunda syllaba ⲡⲉ, et nota tertiae pluralis cum sit ⲟⲩ, contrahitur ⲉⲟⲩ in ⲉⲩ, et ⲁⲟⲩ in ⲁⲩ, unde indicativi modi quaedam quasi conjugatio existit quinque temporibus, quorum primum *tacitum* vocari poterit ϯⲙⲉⲓ *amo*; secundum *praeteritum* ⲁⲓⲙⲉⲓ *amavi*; tertium *imperfectum* ⲛⲁⲓⲙⲉⲓ *amabam*; quartum *praesens* ⲉⲓⲙⲉⲓ *amo*; quintum *futurum* ⲉⲓⲉ̀ⲙⲉⲓ *amabo*.

Temp.	Personae Singularis. Prima	Secunda	Tertia	Pluralis Personae. Prima	Secunda	Tertia
I	ϯⲙⲉⲓ	ϫⲙⲉⲓ m. ⲧⲉⲙⲉⲓ f.	ϥⲙⲉⲓ m. ⲥⲙⲉⲓ f.	ⲧⲉⲛ ⲙⲉⲓ	ⲧⲉⲧⲉⲛⲙⲉⲓ	ⲥⲉⲙⲉⲓ
II	ⲁⲓⲙⲉⲓ	ⲁⲕⲙⲉⲓ m. ⲁ̀ⲣⲉⲙⲉⲓ f.	ⲁϥⲙⲉⲓ m. ⲁⲥⲙⲉⲓ f.	ⲁⲛⲙⲉⲓ	ⲁ̀ⲣⲉⲧⲉⲛⲙⲉⲓ	ⲁⲩⲙⲉⲓ
III	ⲡⲁⲓⲙⲉⲓ	ⲡⲁⲕⲙⲉⲓ m. ⲡⲁⲣⲉⲙⲉⲓ f.	ⲡⲁϥⲙⲉⲓ m. ⲡⲁⲥⲙⲉⲓ f.	ⲡⲁⲛⲙⲉⲓ	ⲡⲁⲣⲉⲧⲉⲛ- ⲙⲉⲓ	ⲡⲁⲩⲙⲉⲓ
IV	ⲉⲓⲙⲉⲓ	ⲉⲕⲙⲉⲓ m. ⲉ̀ⲣⲉⲙⲉⲓ f.	ⲉϥⲙⲉⲓ m. ⲉⲥⲙⲉⲓ f.	ⲉⲛⲙⲉⲓ	ⲉ̀ⲣⲉⲧⲉⲛⲙⲉⲓ	ⲉⲩⲙⲉⲓ
V	ⲉⲓⲉ̀ⲙⲉⲓ	ⲉⲕⲉ̀ⲙⲉⲓ m. ⲉⲣⲉ̀ⲙⲉⲓ f.	ⲉϥⲉ̀ⲙⲉⲓ m. ⲉⲥⲉ̀ⲙⲉⲓ f.	ⲉⲛⲉ̀ⲙⲉⲓ	ⲉ̀ⲣⲉⲧⲉⲛⲉ̀- ⲙⲉⲓ	ⲉⲩⲉ̀ⲙⲉⲓ

Secunda feminina futuri ⲉⲣⲉ̀ⲙⲉⲓ *amabis* accentu differt a secunda praesentis ⲉ̀ⲣⲉⲙⲉⲓ *amas*, quae scribitur etiam ⲉⲣⲙⲉⲓ. Secunda pluralis praeteriti saepe fit praemisso ⲁ̀ secundae pluralis temporis *taciti* ⲁ̀ⲧⲉⲧⲉⲛⲙⲉⲓ *amavistis*.

Universe autem animadvertendum notas sive personarum, sive temporum significare ipsas per se personam aut tempus, adeoque non modo a verbis disjungi, sed usurpari sine verbo posse, subintellecto verbo substantivo, ut adeo ϯ, ⲉϥ, ⲛⲁϥ, ⲉⲩ etc., vertenda sint *sum*, *est*, *erat*, *sunt*, perinde ac scriptum esset ϯⲟⲓ, ⲉϥⲟⲓ, ⲛⲁϥⲟⲓ, ⲉⲩⲟⲓ; unde est in affirmationibus usurpatum ⲥⲉ *sunt* pro *ναὶ* Graecorum, nisi malumus affirmativum ⲥⲉ non ⲥⲉⲟⲓ interpretari, sed ⲥⲟⲓ, ut ⲥⲉ pro ⲥ conveniat plane cum Latino *est*. Nam ⲉ passim additur explendo vocum sonitu, et nota imperfecti ⲛ similiter sine verbo scribitur ⲛⲉ, velut initio Evangelii Sancti Joannis ⲛⲉ ⲡⲥⲁϫⲓ ⲡⲉ, *ἦν ὁ λόγος*, idem ac si scriptum esset ⲛⲁϥⲟⲓ ⲛ̀ϫⲉ

ⲡⲥⲁϫⲓ ⲡⲉ. Quod ⲛⲉ, plerumque vertendum *erat*, ante praeteritum periphrasi quâdam plusquam perfectum exhibet ⲛⲉ ⲁϥⲙⲉⲓ *erat amavit* h. e. *amaverat*. Dignoscitur autem a plurali ⲛⲉ, הם, הנה, eo quod huic soleat praecedere plurale, ad quod refertur, illud subjecto praemittitur, quod extitisse praedicatur. Et cum praeterea sit ⲛⲉ articulus plural. possessivus secundae fem. *tui, tuae*, atque ⲛⲉ *tibi* fem., ut in tabula pronominum casu tertio, haec tamen in contextu, quia locum non inveniunt nisi cum feminam quis affatur, facilius etiam discernuntur a ⲛⲉ notâ imperfecti. Major ambiguitas est in ⲁ et ⲉ, quae non modo praeteriti ac praesentis indices sunt, sed ⲁ̀ etiam imperativi, et ⲉ̀ ut plurimum πρὸς, ἐις, *ad*, et quasi quaedam nota accusativi, cum tamen eaedem literae ⲁ et ⲉ initio interdum pronunciationem potius adjuvare videantur, quam sententiam afficere. Quae tamen expediet exercitatio.

Sed illud in primis animadvertendum, posse tripliciter nominativum cum verbo componi, velut si dicendum sit *Deus creavit*, ⲫϯ ⲁϥⲑⲁⲙⲓⲟ̀; ⲁ̀ⲫϯ ⲑⲁⲙⲓⲟ̀; et ⲁϥⲑⲁⲙⲓⲟ̀ ⲛ̀ϫⲉ ⲫϯ; ubi tamen si subtiliter disputandum sit, cum nomen praecedit, est nominativus absolutus *Deus, is creavit*, nec magis regit verbum, quam in hoc ⲫϯ ⲉⲓⲕⲱϯ ⲛ̀ⲥⲱϥ *Deus, quaero eum*, aut in hoc Aeliani de Animalibus II, 51 Ὁ χόραξ ὀυχ ἂν ἀυτὸν ἐις τόλμαν ἀθυμότερον ἔιποις τῶν ἀετῶν, vel in hoc B. Jordani initio Sermonis II: *L'uomo al cominciamento gli diede Iddio tre grandissimi doni*. Cum autem verbo nomen postponitur, tunc nomini praemittitur ⲛ̀ϫⲉ, quod a ϫⲉ *dicere* est לאמר, sed eâ ferme sententiâ, quâ venit Gallicum *c'est-à-dire, nempe, nimirum, videlicet*, ⲁϥⲑⲁⲙⲓⲟ̀ ⲛ̀ϫⲉ ⲫϯ, *is creavit, scilicet Deus*, quamquam simpliciter ⲛ̀ϫⲉ haberi potest pro notâ nominis vertendi casu recto. Sed revera unica constructio est ⲁ̀ⲫϯ ⲑⲁⲙⲓⲟ̀, in quâ verbum proprie regatur a nomine

ⲫϯ, non a pronomine ϥ vicario pronominis ⲛ̀ⲑⲟϥ. Quâ constructione cum nomen post notam temporis venit, et ante verbum, litera index personae semper abest; non item ⲣ vel ⲣⲉ *expletivum*, quod interdum necessarium omnino est, velut in futuro ⲉⲣⲉ̀ ⲡ̅ⲟ̅ⲥ̅ ϣⲱⲡⲓ ⲛⲏⲓ ⲛ̀ⲛⲟⲩϯ pro ⲉϥⲉ̀ϣⲱⲡⲓ ⲛⲏⲓ ⲛ̀ⲛⲟⲩϯ ⲛ̀ϫⲉ ⲡ̅ⲟ̅ⲥ̅ *erit mihi Dominus in Deum*.

Ceterum praeter literas indices personarum ac temporum aliae notae sunt quasi modorum, cujusmodi est ⲛⲁ proxime praefixum verbo, adeoque post nomen regens, velut notam personae, ϯⲛⲁⲙⲉⲓ *amem, amabo*, ⲕⲛⲁⲙⲉⲓ vel ϫⲛⲁⲙⲉⲓ *ames, amabis*, ϥⲛⲁⲙⲉⲓ *amabit* etc. ⲫϯ ⲛⲁϯⲱ̀ⲟⲩ vel ϥⲛⲁϯⲱ̀ⲟⲩ ⲛ̀ϫⲉ ⲫϯ *Deus dabit-gloriam*. Inseritur autem ⲛⲁ primis quatuor indicativi temporibus pro temporum varietate Latini subjunctivi; quamquam saepius futuro explicandum est. At alium modum, *hypotheticum* dixeris, exhibet secundo tempori insertum ϣⲁⲛ, quod a ϣⲉ *proficisci*, et ⲁⲛ *an, num* seorsim significat

si, num, an, vel. Est igitur ⲁⲓϣⲁⲛⲙⲉⲓ *cum amavero, si forte amem*, quasi dicas *evenerit ut amem*; ⲁⲕϣⲁⲛⲙⲉⲓ m. ⲁ̀ⲣⲉϣⲁⲛⲙⲉⲓ f. *amaveris* etc., cui affine est eidem secundo tempori praefixum ϣ, item a ϣⲉ *ire, evenire, convenire*, unde ϣⲁ non modo est *usque*, sed ⲡϣⲁ, τὸ καθῆκον *conveniens, quod par ac dignum est.* Itaque est ϣⲁⲓⲙⲉⲓ *amare soleo, amo*, quasi dixeris *evenire solet*, vel *convenit ut amem.*

Sed a subjunctivo minus longe abest infinitivus cum articulo feminino variato possessivis notis personalibus, et praefixâ conjunctione ⲛ̀, ut fiat ⲛ̀ⲧⲁ, ⲛ̀ⲧⲉⲕ, ⲛ̀ⲧⲉ, ⲛ̀ⲧⲉϥ etc.; ⲛ̀ⲧⲁⲙⲉⲓ *ut amem*, quasi dicas πρὸς τὸ ἐμοῦ φιλεῖν, *al mio amare*. Qui modus in pluralibus ⲛ̀ⲧⲉⲛ, ⲛ̀ⲧⲉⲧⲉⲛ coincidit cum alio, quo ⲛ̀ praefigitur notis temporis taciti, ⲛ̀ϯ, ⲛ̀ⲕ etc. Atque alius adhuc haberi subjunctivus potest praemisso ⲑⲣⲉ, vel ⲉ̀ⲑⲣⲉ, quod conflatum ex ⲉ̀ *ad*, ⲑ articulo, et ⲣⲉ *facere, fieri*, proprie est לעשות, πρὸς τὸ ποιεῖν, sed recte vertitur *ut*,

ⲉ̀ⲑⲣⲓⲙⲉⲓ *ut amem*, ⲉ̀ⲑⲣⲉⲕⲙⲉⲓ *ut ames*. Variatur autem, ut in sequenti paradigmate.

Singularis

1. ⲉ̀ⲑⲣⲓ 2. { ⲉ̀ⲑⲣⲉⲕ m. / ⲉ̀ⲑⲣⲉ f. } 3. { ⲉ̀ⲑⲣⲉϥ m. / ⲉ̀ⲑⲣⲉⲥ f. }

Pluralis

1. ⲉ̀ⲑⲣⲉⲛ 2. ⲉ̀ⲑⲣⲉⲧⲉⲛ 3. ⲉ̀ⲑⲣⲟⲩ.

Quod paradigma suffixis etiam inserviet particulae ⲙⲁⲣⲓ, ⲙⲁⲣⲉⲕ, ⲙⲁⲣⲉ etc., quae imperandi atque optandi vim addit, ex ⲙⲁ *cedo*, notâ etiam ipsa per se imperativi, et ⲉⲣ, ⲓ̀ⲣⲓ, ⲣⲉ, cujus imperativum ⲁ̀ⲣⲓ *fac, facite* inservit et ipsum imperativis componendis. Conferenda praeterea cum ⲉ̀ⲑⲣⲓ sunt ⲙ̀ⲡⲁϯ, ⲙ̀ⲡⲁⲧⲉⲕ etc., ϣⲁϯ, ϣⲁⲧⲉⲕ etc., quorum hoc fit a ϣⲁ *usque, donec*, ϣⲁϯⲙⲉⲓ *donec amem*; illud ab ⲁⲧ *privativo*, ⲙ̀ⲡⲁⲧⲉ *cum non adhuc, prius quam*, ⲙ̀ⲡⲁϯⲙⲉⲓ *adhuc non amo, antequam amem*.

Sed notandae in primis sunt particulae vetandi ac negandi vi praeditae, quae verbis praemittuntur, ⲙ̀ⲡⲓ, ⲙ̀ⲡⲉⲕ etc.; ⲛ̀ⲛⲁ, ⲛ̀ⲛⲉⲕ etc.; ⲙ̀ⲡⲓⲙⲉⲓ *non amo*,

vel *non amavi*, ⲛ̀ⲛⲁⲙⲉⲓ *non amabo*; tum quae post notas personarum inseritur ϣⲧⲉⲙ, fortassis a ϣ, ⲁⲧ, ⲙ̀, ac verba privativa componit ϣⲧⲉⲙⲛⲁϩϯ ἀπιστεῖν. Item animadvertendum ⲉⲧ (אשר) quod ceteris verbi notis praeit, et jam *cum*, jam participio verbi explicatur, ut a ⲥⲁϫⲓ *lòqui*, ⲉ̀ⲧⲁϥⲥⲁϫⲓ *cum dixisset*, vel *locutus*, a ⲥⲓⲛⲓ *transire*, ⲉ̀ⲧⲁⲥⲥⲓⲛⲓ *praetergressa*; ⲉ̀ⲑⲛⲁⲙⲉⲓ *amaturus*. Nota autem ⲧ in ⲉⲧ non modo mutari in ⲑ, ut alias monitum, sed omitti interdum, ut sit ⲉ̀, ⲉ̀ϣ pro ⲉⲧ, ⲉⲧϣ, quod contextus indicabit. Elliptice frequens est ⲉ̀ⲧⲉ pro ⲉ̀ⲧⲟⲓ *existens*.

Passivis Copti carent; quamquam sunt quaedam terminationes, quae in significationem passivam propendere videantur, ⲏ̀ⲟⲩⲧ, ⲱⲟⲩⲧ, ⲱⲧ. Nam a ⲥϧⲁⲓ, ⲥϧⲉ *scribere*, est ⲥϧⲏ̀ⲟⲩⲧ *scribi*, a ⲧⲁϫⲣⲟ *confirmare, roborare*, ⲧⲁϫⲣⲏ̀ⲟⲩⲧ *roborari*, a ⲧⲟⲩⲃⲟ *donare sanctitate*, ⲧⲟⲩⲃⲏ̀ⲟⲩⲧ *sanctificari*. Sed a ϭⲣⲟ *vincere* ⲉ̀ⲧϭⲣⲏⲟⲩⲧ I Joan. v, 5 non *victus* est, sed *vincens*, et ceterae

terminationes magis etiam sunt ambiguae. Contra certum, passivae nostrae conjugationis loco usurpari Coptice tertiam pluralis tacito nominativo, atque *ego amor* verti ⲥⲉⲙⲉⲓ ⲙ̀ⲙⲟⲓ, *amant me*; *amatus fuisti*, ⲁⲩⲙⲉⲓ ⲙ̀ⲙⲟⲕ *amaverunt te*; *amabatur illa*, ⲛⲁⲩⲙⲉⲓ ⲙ̀ⲙⲟⲥ *amabant eam*.

Tandem suffixa verborum observanda, eadem, quae pronominum. Sed quod adhuc non monui, saepe suffixis praemittitur ⲧ etiam in particulis. Nam e. g. ab ⲉⲑⲃⲉ ὑπὲρ, *super*, *pro*, *propter*, *de*, fit ⲉⲑⲃⲏⲧ *propter me*, ⲉⲑⲃⲏⲧⲕ m., ⲉⲑⲃⲏϯ f. *propter te* etc. Sic a multis verbis, ut a ϭⲓ *sumere* fit ⲁⲓϭⲓⲧϥ *sumsi eum*, non ⲁⲓϭⲓϥ, quemadmodum a ⲧⲁⲙⲉ, ⲧⲁⲙⲟ (*dar notizia*) *docere*, ⲁⲓⲧⲁⲙⲟϥ *docui eum*. Interdum autem est suffixum reciprocum, ut ab ϩⲓ *jácere*, ⲁϥϩⲓⲧϥ *jecit eum*, vel *jecit se ipsum*, unde ratio quaedam verborum existit cum nostris Italorum Gallorumque reciprocis conferenda, e. g. ⲧⲱⲛϥ *surgere*, *alzarsi*, *se lever*, ⲁⲓⲧⲱⲛⲧ *surrexi*, *m'al-*

ʒai, ⲁⲕⲧⲱⲛⲕ *t'alʒasti* etc. a ⲧⲱⲟⲩⲛ *excitare*; et a ⲟⲩⲱⲛ *aperire*, ⲟⲩⲱⲛϩ *patefacere*, ⲟⲩⲟⲛϩϥ *aperire se*, *palesarsi*, *se montrer*, ⲁⲓⲟⲩⲟⲛϩⲧ *apparui*, *mi palesai* etc., a ⲫⲟⲛ *effundere* (*versare*) ⲫⲟⲛϩ *vertere*, ⲫⲟⲛϩϥ *vertere se*, *rivolgersi*, *se tourner*, ⲁⲕⲫⲟⲛϩⲕ *ti rivolgesti*. Sic a ⲕⲟⲧϥ *tornarsene*, *redire*, ⲁⲥⲕⲟⲧⲥ *ella se ne ritornò*. Ceterum quaedam verba suffixi gratiâ nihil mutantur, ut ⲁϥⲑⲁⲙⲓⲟ̀ *creavit*, ⲁϥⲑⲁⲙⲓⲟ̀ⲓ *creavit me*, quod tamen pro tertiâ plurali mutat o in ω, ⲁϥⲑⲁⲙⲓⲱ̀ⲟⲩ *creavit eos*. Quaedam mutantur, et contrahuntur aliquomodo, ut ϥⲁⲓ *tollere*, ⲁⲩϥⲓⲧϥ *tulerunt eum*, ⲉⲩⲉ̀ϥⲓⲧⲟⲩ *tollent eos*, ϧⲱⲧⲉⲃ *interficere*, ⲉϥⲉ̀ϧⲟⲑⲃⲉⲧ *occidet me*, ⲁⲩϧⲟⲑⲃⲉⲥ *occiderunt eam*, ⲥⲱⲧⲉⲙ *audire*, ⲁⲛⲥⲟⲑⲙⲉⲕ *audivimus te*, ⲑⲱϩⲉⲙ *vocare*, ⲁϥⲑⲁϩⲙⲉⲛ *vocavit nos*. Quae speciminis loco sunto.

Neque enim hujus instituti est multiplicem adeo varietatem verborum singillatim persequi, cujus magis etiam mirifica mutatio sine suffixis est in con-

structione. Suo igitur quisque studio animadvertet non modo ⲉⲛ ab ⲓ̀ⲛⲓ *afferre*, ⲥⲉⲛ a ⲥⲓⲛⲓ *transire*, ϣⲉⲛ a ϣⲓⲛⲓ *percontari*, *salutare*, ϫⲉⲙ a ϫⲓⲙⲓ *invenire*, ut ⲉⲣ ab ⲓ̀ⲣⲓ *facere*, sed ut ⲣⲉ, ⲣⲁ pro ⲓ̀ⲣⲓ, sic aliarum vocalium frequentes vices, ut in ⲑⲁϣ, ⲑⲏϣ, ⲑⲟϣ, ⲑⲱϣ *definire*, *constituere*; tum quae thematis duplicatione fiunt, ⲃⲟⲣⲃⲉⲣ, ⲃⲉⲣⲃⲱⲣ *abjiciendi* notatione, ϫⲟⲙϫⲉⲙ, ϫⲉⲙϫⲟⲙ *tenendi*, ϩⲟⲛϩⲉⲛ, ϩⲉⲛϩⲱⲛ *praecipiendi*, et quae adsciscunt ⲟⲩⲓ̀ vel aliquo significationis discrimine, ut ϭⲓⲟⲩⲓ̀ *furari* a ϭⲓ *accipere*, vel nullo, ut ϩⲓⲟⲩⲓ̀ pro ϩⲓ *projicere*, et quae plurima praetermittenda omnino mihi sunt.

Jam enim de particulis breviter dicendum; quae partim Graecae sunt, ut ⲉⲡⲓⲇⲏ ἐπειδὴ, ⲓ̀ⲧⲁ εἶτα, ⲓ̀ⲧⲉ, εἴτε, ⲕⲉⲡⲉⲣ καίπερ, ⲟⲩⲭⲓⲟⲛ ὀυχ οἷον, quod Graecis etiam est idem ferme atque ὀυχ ὅιον, *non solum*, ⲟⲩⲭⲱⲧⲓ ὀυχ ὅτι, ϩⲁⲣⲁ ἄρα, ϩⲓⲕⲏ ἐιχῆ, etc.. Aegyptiae pleraeque nomina sunt adverbialiter accepta, vel ex nominibus compositae;

sed earum interpretatio non est ad origines anxie, ac pertinaciter exigenda. Nam e. g. cum ⲧⲟⲧ sit *manus*, ϩⲓⲧⲟⲧ ἐπιχειρεῖν *manum injicere*, *incipere*, *metter mano*, ϯⲧⲟⲧ *dar mano*, *opitulari*, ut qui manu labantem sustinet, non semper tamen ⲛ̀ⲧⲟⲧϥ vertendum *manu ejus*, sed saepius *per ipsum*, *ab ipso*, saepissime *ipsius*. Cavendum autem, ne particulae similes confundantur, ut ⲁⲛ, ἂν *an*, *num*, quae ante verbum venire solet, et ⲁⲛ *non*, quae rem negatam subsequitur. Contra, quod rei negatae plerumque praeit, ⲙ̀ⲙⲟⲛ *non*, non est confundendum cum ⲙ̀ⲙⲟⲛ *nobis* etc.

Restat Saidica dialectus cognoscenda, cujus praecipuae proprietates sunt

I. Frequentatio literarum lenioris spiritus ⲕ, ⲡ, ⲧ, ϩ pro ⲭ, ⲫ, ⲑ, ϧ, atque aliarum quarumdam mutatio de quibus in explicatione Alphabeti dictum est.

II. Suffixum secundae singularis fem. ⲟⲩ, quod Memphitice est pluralis tertiae, ⲡⲟⲩ Saidice ὁ σὸς de feminâ, ⲧⲟⲩ

tua, ⲛⲟⲩ *tui*. Tertiae autem plurali tributum ⲉⲩ; ⲡⲉⲩ, ⲧⲉⲩ, ⲛⲉⲩ *ὁ*, *ἡ*, *οἱ* vel *αἱ αὐτῶν*.

III. Omissio crebra vocalis mediae e. g. ϩⲛ̀ pro ϩⲁⲛ articulo plur., et pro ϧⲉⲛ *in*; ⲁ̀ⲛⲧ̀ *ego*, ⲛ̀ⲧⲕ̀ *tu*, ⲁⲛⲛ̀ *nos* ⲛ̀ⲧⲱⲧⲛ̀ *vos* pro ⲁ̀ⲛⲟⲕ, ⲛ̀ⲧⲟⲕ, etc.

IV. Duplicatio consonae pro vocali omissâ, unde ⲣ̀ⲣⲟ pro ⲟⲩⲣⲟ *rex*, ⲧ̀ⲃⲃⲟ pro ⲧⲟⲩⲃⲟ *purum sanctumque praestare* etc.

V. Duplicatio ejusdem vocalis, ut in ϣⲁⲁⲣ pro ϣⲁⲣ *pellis*, ϣⲉⲉⲣⲉ pro ϣⲉⲣⲓ *filia*, ⲙⲏⲏϣ pro ⲙⲏϣ *multitudo*; ⲙⲟⲟϣⲉ pro ⲙⲟϣⲓ *ambulare*, ϩⲱⲱ, ϩⲱⲱⲕ etc. pro ϩⲱ, ϩⲱⲕ *ego etiam*, *etiam tu*.

VI. ⲉⲓ pro ⲓ, aut ⲉ, cum contra sit ⲉ pro ⲓ in fine, unde ⲉⲓⲙⲉ *scire*, ⲉⲓⲣⲉ *facere* pro ⲉ̀ⲙⲓ, ⲓ̀ⲣⲓ; ⲡⲉⲓ pro ⲫⲓ *osculum* etc.. In fine autem ⲓ saepe omissum, ut in ⲕⲁϩ pro ⲕⲁϩⲓ *terra*, ⲟⲩⲁ pro ⲟⲩⲁⲓ *unus*, ⲛⲁ pro ⲛⲁⲓ *miserere*.

VII. Omissum interdum ϫ in medio; ⲕⲟⲩⲓ̀ pro ⲕⲟⲩϫⲓ *parvus*, ϩⲓⲱⲓ pro ϩⲓϫⲱⲓ

super me. Quibus nescio an accenseam neglectum ejus orthographiae, quae pronunciationem ita sequatur, ut simul rationem habeat etymologiae. Nolim enim temere damnare ⲫⲏⲃⲥ pro ⲡϩⲏⲃⲥ *ὁ λύχνος*, qui Memphit. ⲡⲓϧⲏⲃⲥ, atque alia hujusmodi: et quaedam tamen inscitiae potius quam dialecto tribuenda arbitror. Sed nec omnia, quae Thebaidensium propria sunt persequor. Tantum addo non modo in formis ac literis habere eos peculiaria multa, ut ⲡⲉⲓ pro ⲡⲁⲓ *hic*, ⲛⲁⲩ pro ⲛⲱⲟⲩ *illis*; ⲙⲁⲉⲓⲛⲉ *signum*, ⲥⲁⲉⲓⲛⲉ *medicus* pro ⲙⲏⲓⲛⲓ, ⲥⲏⲓⲛⲓ; ⲛⲓⲙ pro ⲛⲓⲃⲉⲛ *omnis*, cum tamen etiam Saidice, ut Memph. sit ⲛⲓⲙ *quis*, ⲗⲁⲁⲩ pro ϩⲗⲓ *aliquis*, *ullus*, ⲉϣϫⲉ pro ⲓⲥϫⲉ *siquidem*, ϫⲓⲛ pro ⲓⲥϫⲉⲛ *ab* etc., sed quaedam vocabula plane sua, ut ⲟⲩϣⲏ pro ⲉ̀ϫⲱⲣϩ *nox*, ⲟⲩⲟⲉⲓϣ pro ⲥⲏⲟⲩ *tempus*, ϩⲙϩⲁⲗ pro ⲃⲱⲕ *servus* etc.

Sed breve specimen utriusque dialecti jam exhibeamus, quod ex Tukii Rudimentis descriptum, atque emendatum

collatis pag. 330, 331 cum 155, 417, et 506, enucleate deinceps explicabo: locus autem est Isaiae Cap. XL v. 9, 10.

Memphiticus.

Ϻⲁϣⲉⲛⲁⲕ ϩⲓϫⲉⲛ ⲟⲩⲧⲱⲟⲩ ⲉⲧϭⲟⲥⲓ ⲫⲏ ⲉ̀ⲧϩⲓϣⲉⲛⲛⲟⲩϥⲓ ⲛ̀ Ⲥⲓⲱⲛ ·ⲓ· ϭⲓⲥⲓ ⲛ̀ⲧⲉⲕⲥⲙⲏ ϧⲉⲛ ⲟⲩϫⲟⲙ ⲫⲏ ⲉ̀ⲧϩⲓⲱⲓϣ ⲛ̀Ⲓⲗⲏ̅ⲙ̅ ·ⲓ· ϭⲓⲥⲓ : ⲙ̀ⲡⲉⲣⲉⲣϩⲟϯ ·ⲓ· ⲁ̀ϫⲟⲥ ⲛ̀ⲛⲓⲃⲁⲕⲓ ⲉ̀ⲧⲉ Ⲓⲟⲩⲇⲁ : ϫⲉ ϩⲏⲡⲡⲉ ⲡⲉⲧⲉⲛⲟ̅ⲥ̅ ϥⲛⲏⲟⲩ ⲛⲉⲙ ⲟⲩϫⲟⲙ ·ⲓ· ⲡⲉϥϫⲫⲟⲓ ϧⲉⲛ ⲟⲩⲙⲉⲧⲟ̅ⲥ̅ ·ⲓ· ϩⲏⲡⲡⲉ ⲓⲥ ⲡⲉϥⲃⲉϫⲉ ⲛⲉⲙⲁϥ : ⲟⲩⲟϩ ⲡⲓϩⲱⲃ ⲙ̀ⲡⲉϥⲙ̀ⲑⲟ ⲉ̀ⲃⲟⲗ ·ⲓ·

Thebaidensis.

Ⲁⲗⲉ ⲉϩⲣⲁⲓ ⲉ̀ϫⲛ̀ ⲟⲩⲧⲟⲟⲩ ⲉϥϫⲟⲥⲉ ⲡⲉⲧⲉⲩⲁⲅⲅⲉⲗⲓⲍⲉ ⲛ̀ Ⲥⲓⲱⲛ ·ⲓ· ϫⲓⲥⲉ ⲛ̀ⲧⲉⲕⲥⲙⲏ ϩⲛ̀ ⲟⲩϭⲟⲙ ⲡⲉⲧⲧⲁϣⲉⲟⲉⲓϣ ⲛ̀ ⲑⲓⲗⲏ̅ⲙ̅ .ⲓ. ϫⲓⲥⲉ: ⲙ̀ⲡⲣ̀ⲣ̀ϩⲟⲧⲉ ·ⲓ· ⲁϫⲓⲥ ⲛⲉⲙⲡⲟⲗⲓⲥ ⲛ̀Ⲓⲟⲩⲇⲁ : ϫⲉ ⲉⲓⲥ ⲡⲉⲛⲛⲟⲩⲧⲉ : ⲉⲓⲥ ⲡϫⲟⲉⲓⲥ ϩⲛ̀ ⲟⲩϭⲟⲙ ·ⲓ· ⲁⲩⲱ ⲡⲉϥϫⲃⲟⲓ ⲛⲏⲩ ϩⲛ̀ ⲟⲩⲙⲛ̀ⲧ̀ϫⲟⲉⲓⲥ ·ⲓ· ⲉⲓⲥ ⲡⲉϥⲃⲉⲕⲉ ⲛⲙ̀ⲙⲁϥ : ⲁⲩⲱ ⲡⲉϥϩⲱⲃ ⲙ̀ⲡⲉϥⲙ̀ⲧⲟ ⲉ̀ⲃⲟⲗ ·ⲓ·

Ϻⲁϣⲉⲛⲁⲕ *vade*, ex ⲙⲁ notâ imperativi, ϣⲉ *proficisci*, et ⲛⲁⲕ *tibi*; לך לך

vattene. Solet enim verbo ϣⲉ dativus addi pronominis reciproci ⲁϥϣⲉⲛⲁϥ, הלך לו *andossene*. Thebanensis habet ⲁⲗⲉ *ascende*, cum quo conferendum Memphiticum ⲁ̀ⲗⲏⲓ *ascendere*, et ⲉⲗ, ⲟⲗ, ⲱⲗⲓ *tollere*.

Ϩⲓϫⲉⲛ ἐπὶ, *super*, ab ϩⲓ; ϩⲓϫⲉⲛ ⲡⲓⲕⲁϩⲓ ἐπὶ τῆς γῆς. Sed Saidicum ⲉ̀ϩⲣⲁⲓ ⲉ̀ϫⲛ̀ est Memphitice ⲉ̀ϧⲣⲏⲓ ⲉ̀ϫⲉⲛ, quod et ipsum usurpatur pro eodem ἐπὶ, ut etiam ⲛ̀ϧⲣⲏⲓ ϩⲓ, e. g. ⲉ̀ⲙⲟϣⲓ ⲛ̀ϧⲣⲏⲓ ϩⲓ ⲛⲉϥⲙⲱⲓⲧ *ad ambulandum in viis ejus*; quamquam ⲉ̀ϧⲣⲏⲓ, ⲛ̀ϧⲣⲏⲓ per se est κατὰ, atque interdum κάτω. Sed ⲉ̀ϫⲛ̀ *supra*, in quo accentus observandus super ⲛ indicio vocalis omissae, ut in Saidicis solet. In ⲉ̀ϩⲣⲁⲓ observato ϩ pro ϧ, ut semper, et ⲁⲓ pro ⲏⲓ, ut in ⲛⲁⲓ pro ⲛⲏⲓ *mihi*.

Ⲟⲩⲧⲱⲟⲩ *montem*, *un monte*, ex ⲟⲩ articulo infinito, et ⲧⲱⲟⲩ nom. masc. *mons*, Saidice ⲧⲟⲟⲩ, quia Thebaidenses amant ⲟ pro ⲱ, ⲙⲟⲟⲩ pro ⲙⲱⲟⲩ *aqua*, ⲛ̀ⲧⲟⲟⲩ pro ⲛ̀ⲑⲱⲟⲩ *ipsi* etc.

Ⲉⲧϭⲟⲥⲓ *excelsum*, unde saepe Deus dictus ⲡⲉⲧϭⲟⲥⲓ, העליון, ὁ ὕψιστος, a

ϭοcι *exaltare*, vel *eminere*, πϭιcι *τὸ ὕψος*, Saidice πϫιcε, mutatis ϭ in ϫ, et ι finale in ε. Quod autem hic Saidicus habet εqϫοcε, praesens pro participio, id passim usurpatur, et Memphitico etiam licuisset scribere ἐϫεn οτ-τωοτ εqϭοcι, ut apud Matth. IV, 8. Ceterum quemadmodum ἐτϭοcι ac ϭιcι, sit usitatum ετφορι *splendens*, ετὸϐι *sitiens*, εqὸnι *similis est* etc., cum tamen dicatur πιφιρι *splendor*, πιὶϐι *sitis*, πιὶnι *similitudo*, Gallice *le rapport*. Est enim ὶnι *afferre*.

Φн ἐτϩιϣεnnοτqι *fausta nuncians*, ex φн ἐτ *qui*, ϩιϣ contractum breviandae compositioni pro ϩιωιϣ, *κηρύσσειν*, *proclamare*, *praedicare*, εn pro ǹ particulâ, et nοτqι *bonus*, ϩιϣεnnοτqι *εὐαγγελίζεσθαι*, ex quo potuisset Memphita ducere πετερεταττελιϩεcθε *ὁ εὐαγγελιζόμενος*, quemadmodum Thebaidensis πετεταττελιϩε. Nam dialecti discrimen consistit in omissione praefigendi εp, atque extremi *ιν*, vel *σθαι*. Scribunt enim Thebaidenses e. g. ϫιcε

o

ⲙ̀ⲙⲟⲕ ⲡⲉⲧⲕⲣⲓⲛⲉ ⲙ̀ⲡⲕⲁϩ *Exalta te, qui judicas terram* Ps. XCIII, 5 non ⲡⲉⲧⲉⲣⲕⲣⲓⲛⲓⲛ, quod Memphiticum esset, nisi mallent Memphitae Aegyptiâ voce uti ab ϩⲁⲡ *judicium*, ϯϩⲁⲡ (*dar giudizio*) *judicare*, ϭⲓⲥⲓ ⲫⲏ ⲉ̀ⲑⲛⲁϯϩⲁⲡ ⲉ̀ⲡⲕⲁϩⲓ *exaltare, qui judicaturus es terram*. A Graeco autem verbo medio, ut Thebaidensis corruptio intelligatur, addam Matth. XXVI, 35 ⲛ̀ϯⲡⲁⲣⲛⲁ ⲙ̀ⲙⲟⲕ ⲁⲛ *non negabo te*, ex ⲛ̀ϯ notâ primae personae, ⲡⲁⲣⲛⲁ ἀπαρνεῖσθαι, ⲙ̀ⲙⲟⲕ *te*, ⲁⲛ *non*; ubi Memphita (a ϫⲱⲗ ⲉ̀ⲃⲟⲗ, *abnegare*) ⲛ̀ⲛⲁϫⲟⲗⲕ ⲉ̀ⲃⲟⲗ *non te abnegabo*.

ⲛ̀Ⲥⲓⲱⲛ *Sioni*, ⲛ̀ idem atque ⲙ̀ particula index plerumque ac vicaria dativi, quamquam saepe etiam genitivi, aut accusativi, tum conjunctionis adjectivi cum substantivo, aut simpliciter cohaerentiae verborum, quibus quis pergit explicare sententiam.

ϭⲓⲥⲓ ⲛ̀ⲧⲉⲕⲥⲙⲏ *attolle vocem tuam*, ubi verbum nudum imperative accipitur, et vice casus regit ⲛ̀, ut Lucae I, 52

ⲁϥϭⲓⲥⲓ ⲛ̀ⲛⲏ ⲉ̀ⲧⲑⲉⲃⲓⲏ̀ⲟⲩⲧ *exaltavit humiles*. Est autem a nomin. femin. ⲥⲙⲏ *vox*, ⲧⲁⲥⲙⲏ *vox mea*, ⲧⲉⲕⲥⲙⲏ *vox tua* etc.

Ϧⲉⲛ ⲟⲩϫⲟⲙ *valide*, בכח. Nam ⲫⲉⲛ Theb. ϩⲛ̀ *in*, ⲟⲩ articulus, ϫⲟⲙ est nom. fem. *vis*, *virtus*, Theb. ϭⲟⲙ mutato ϫ in ϭ, ut in notâ nominativi ⲛ̀ϭⲓ pro ⲛ̀ϫⲉ, etc.

Ⲫⲏ ⲉ̀ⲧϩⲓⲱⲓϣ ⲛ̀ Ⲓⲗⲏ̄ⲙ *praeco Hierosolymae*. Est autem ϩⲓⲱⲓϣ *clamorem edere*, *edicere*, *proclamare*, ab ϩⲓ *jácere*, *emittere*, et ⲱⲓϣ *praeconium*, *clamor*, ab ⲱϣ (ut קרא) *clamare*, et *legere*; cui sunt affinia ⲟϣ *magnum*, *multumque* esse, ⲁ̀ϣⲓ *in sublime evectum*, ac *suspensum*, ⲁ̀ϣⲉ *multitudo*, ex quo ac ⲧ, ϯ *dare* fit Saidicum ⲧⲁϣⲉ, additoque ⲟⲉⲓϣ ut dialectus postulat, ⲧⲁϣⲉⲟⲉⲓϣ נתן קול גדול, *altum clamorem edere*, *praeconio edicere*, *concionari*, ⲡⲉⲧⲧⲁϣⲉⲟⲉⲓϣ *concionator*, *praeco*, qui Memph. ⲡⲉⲧϩⲓⲱⲓϣ. Quod autem habet Saidicus ⲛ̀ⲑⲓⲗⲏ̄ⲙ, est pro ⲛ̀ⲧϩⲓⲉⲣⲟⲩⲥⲁⲗⲏⲙ additâ nomini adspiratione, atque articulo cum ipsâ coalescente.

ϭⲓⲥⲓ : ⲙ̀ⲡⲉⲣⲉⲣϩⲟϯ *attolle, ne verearis,* ⲙ̀ⲡⲉⲣ particula vetantis est, habens ⲉⲣ expletivum, cum suffixa personarum absunt, quibus fit ⲙ̀ⲡⲓ, ⲙ̀ⲡⲉⲕ etc., ⲉⲣϩⲟϯ *timere, vereri*, ex ⲉⲣ *facere, fieri*, tritum in verbis componendis, et ϩⲟϯ nom. femin. *timor*, sive is paventis ac trepidantis *metus* sit, sive abhorrentis, refugientis, abominantis *horror*, atque aversatio, sive tandem verentis et colentis religio, pietas, obsequium, fides; unde ⲉⲛϩⲟⲧ *obsequens, fidelis*, et ϩⲱϯ *officium, debitum, jus, census, tributum, vectigal*. Saidicum ⲙ̀ⲡⲣ̀ⲣ̀ϩⲟⲧⲉ nihil differt, nisi quod ex dialecto mediam vocalem bis omittit, atque in fine habet ⲉ pro ⲓ.

Ⲁ̀ϫⲟⲥ *dic*, a ϫⲱ *dicere*, praemisso ⲁ̀, notâ hic imperativi, et suffixo ⲥ pronomine tertiae sing. fem., ut adeo proprie sit ⲁ̀ϫⲟⲥ *dic eam* rem, *fare istuc*, ut passim ⲉϥϫⲱⲙ̀ⲙⲟⲥ *dicit istud*, vertendum simpliciter *dicens*. Est autem ϫⲱ idem quod ϫⲉ, unde ⲛ̀ϫⲉ, ⲉ̀ϫⲉ *ad dicendum*, et ⲡⲉϫⲉ, quasi ⲡⲁⲓ ϫⲉ, *hoc*

dicere, *est* vel *fuit dicere*, ⲡⲉϫⲉ ⲫϯ *dixit Deus*, ⲡⲉϫⲏⲓ *dixi*, proprie הוא אמרי *effatum meum est*, ⲡⲉϫⲁⲕ *dixisti*, ⲡⲉϫⲁϥ *dixit* etc.. Thebanensis habet ⲁϫⲓⲥ pro ⲁ̀ϫⲟⲥ, quod huic imperativo est peculiare, cum alias dialectus iteret vocalem ⲟ, ⲁⲓϫⲟⲟⲥ pro ⲁⲓϫⲟⲥ *dixi eam* rem etc.

Ⲛ̀ⲛⲓⲃⲁⲕⲓ ⲉ̀ⲧⲉ Ⲓⲟⲩⲇⲁ *oppidis*, *quae sunt Judae*, ⲉ̀ⲧⲉ pro ⲉ̀ⲧⲟⲓ; nisi legendum est ⲛ̀ⲧⲉ, ut Lucae I, 39 ⲉ̀ⲟⲩⲃⲁⲕⲓ ⲛ̀ⲧⲉ Ⲓⲟⲩⲇⲁ. Et sane ⲛ̀ⲧⲉ nota genitivi planissimam hic praestaret syntaxim et proximam Saidico ⲛⲉⲙⲡⲟⲗⲓⲥ ⲛ̀Ⲓⲟⲩⲇⲁ *urbibus Judae*. Nam Thebaidensibus ⲛ̀ pro ⲛ̀ⲧⲉ solemne est, et ⲛⲉⲙ scribitur ante ⲡ pro ⲛ̀ⲛ, quod respondet Memphitico ⲛ̀ⲛⲓ, ex. gr. ⲛ̀ⲁⲣⲭⲓⲉⲣⲉⲩⲥ ⲇⲉ ⲁⲩϫⲓ ⲛ̀ⲛϩⲁⲧ *Pontifices vero acceperunt argenteos* Matth. XXVII, 6 Memph. ⲛⲓⲁⲣⲭⲓⲉⲣⲉⲩⲥ ⲇⲉ ⲉ̀ⲧⲁⲩϭⲓ ⲛ̀ⲛⲓϩⲁⲧ *Pontifices vero cum accepissent argenteos*. Scribunt autem Thebaidenses ante ⲡ ⲙ pro ⲛ non modo cum ⲛ̀ particula est, quod Memphitae solent, sed cum est articulus, immo et cum ultima vocis praece-

dentis, e. g. ⲉϫⲙ̀ ⲡⲕⲁϩ pro ⲉϫⲉⲛ ⲡⲓⲕⲁϩⲓ *super terram*. Hinc ⲙ̀ⲡⲟⲗⲓⲥ pro ⲛ̀ⲡⲟⲗⲓⲥ *αἱ πόλεις*, tum praemissa particula ⲛ̀, insertoque, ut solet, expletivo ⲉ ⲛⲉⲙⲡⲟⲗⲓⲥ pro ⲛ̀ⲙ̀ⲡⲟⲗⲓⲥ, ⲛ̀ⲛⲉⲡⲟⲗⲓⲥ. Neque enim hic est ⲛⲉⲙ *cum*, pro quo cum Thebaidenses usurpent ⲙⲛ̀, scripsisset eorum interpres ⲙⲛ̀ ⲛⲉⲡⲟⲗⲓⲥ, ⲙⲛ̀ⲉⲙⲡⲟⲗⲓⲥ, non omisso articulo, pluralis indicio unico, siquidem voluisset exprimere ⲛⲉⲙ ⲛⲓⲃⲁⲕⲓ.

Ϫⲉ *ὅτι*, Italice *che*; proprie, atque origine est *dicere*, *dic*, *dicite*. Sed idiotismus est pleonasticus.

Ϩⲏⲡⲡⲉ *ecce*, pro quo Thebaidensis habet ⲉⲓⲥ, quod est Memph. ⲓⲥ. Usurpantur autem ϩⲏⲡⲡⲉ et ⲓⲥ cum singula solitarie, tum simul ϩⲏⲡⲡⲉ ⲓⲥ, ⲓⲥ ϩⲏⲡⲡⲉ *ecce*. Et Saidicus etiam, quamquam in hoc textu bis habet solum ⲉⲓⲥ, poterat per dialectum scribere ⲉⲓⲥϩⲏⲏⲧⲉ, adhibens, ut solet, ϩⲏⲏⲧⲉ pro ϩⲏⲡⲡⲉ.

Ⲡⲉⲧⲉⲛⲟ̅ⲥ̅ ϥⲛⲏⲟⲩ *Dominus vester venit*, ⲡⲉⲧⲉⲛ *ὁ ὑμῶν*, ⲟ̅ⲥ̅ est ϭⲱⲓⲥ Theb. ϫⲟⲉⲓⲥ, ut in compendiis vocum expli-

cavi. Ϥⲛⲛⲟⲩ tertia masc. temporis *taciti* a ⲛⲛⲟⲩ *venire*, quod Saidice est ⲛⲛⲩ, quia dialectus contrahit ⲛⲟⲩ in ⲛⲩ, unde pluralia ϩⲃⲏⲩⲉ pro ϩⲃⲏⲟⲩⲓ *opera*, ⲡⲏⲩⲉ, atque etiam ⲡⲩⲉ *pеve*, pro ⲫⲏⲟⲩⲓ̀ *caeli* etc.. Hic autem sine verbo Saidicus ⲉⲓⲥ ⲡⲉⲛⲛⲟⲩⲧⲉ : ⲉⲓⲥ ⲡϫⲟⲉⲓⲥ *ecce Deus noster, ecce Dominus*, nempe adest. Quod vero habet ⲡⲉⲛ ὁ ἡμῶν, Memphiticus autem ⲡⲉⲧⲉⲛ ὁ ὑμῶν, auctores hic habet LXX Ἰδοὺ ὁ Θεὸς ὑμῶν, ἰδοὺ κύριος, Saidicus autem Arabem interpretem ها الهنا ها الرب *En Deus noster, en Dominus*.

Ⲛⲉⲙ ⲟⲩϫⲟⲙ *cum virtute, cum robore*. Theb. ϩⲛ̀ ⲟⲩϭⲟⲙ *in virtute*.

Ⲡⲉϥϫⲫⲟⲓ *brachium ejus;* ⲡⲉϥ ὁ αὐτοῦ, ϫⲫⲟⲓ *brachium* Theb. ϫⲃⲟⲓ mutato ob soni similitudinem ⲫ in ⲃ, ut in ϣⲃⲏⲣ pro ϣⲫⲏⲣ *sodalis*, ⲁⲫⲱⲃ pro ⲁ̀ⲫⲱⲫ *gigas*, quemadmodum idem ⲃ etiam pro ϥ occurrit in Saidicis ⲥⲣ̀ⲛⲟⲃⲣⲉ pro ⲥⲉⲣⲛⲟϥⲣⲓ *expedit, utile est*, ⲃⲱⲧⲉ pro ϥⲱϯ *sudor*, ϫⲁⲧⲃⲉ pro ϭⲁⲧϥⲓ̀ *reptile*. Sed ex dialecto mutandum po-

tius erat ϕ in π, ut in ϣπηρε pro ϣϕηρι *admiratio*, *miraculum*, πε pro ϕε *caelum*, ⲁπε pro ⲁ̀ϕε *caput*, πωⲧ pro ϕωⲧ *fuga*, unde fortassis in ϫⲃⲟⲓ, ϣⲃⲏⲣ etc. **B** pro ϕ scriptum, quia ⲃ alternat cum π tum in unâ eâdemque dialecto, ⲏⲃⲓ pro ⲏπⲓ *numerus*, utrumque Memphitice, tum in diversâ, πεⲛⲓπε Said. pro Memph. ⲃεⲛⲓπⲓ *ferrum*. Ceterum pro ϫⲃⲟⲓ Saidice legi alicubi ϭⲃⲟⲓ, ϭ pro ϫ, dialecti indole minime repugnante. Quod autem hic addit Saidicus ⲛⲏⲧ *venit* jam explicatum est.

ϧεⲛ ⲟⲩⲙεⲧⲟ̅ⲥ̅ *in potestate*, *cum imperio*, *ac vi*, a ⲙεⲧⲟ̅ⲥ̅, Saidice ⲙⲛ̀ⲧ̀ϫⲟεⲓⲥ *dominium*, ubi observato praeformativam hujusmodi abstractorum ⲙεⲧ scribi Saidice ⲙⲛ̀ⲧ̀, ut passim ⲛ̀ⲧ pro εⲧ relativi aut participii notâ.

Πεϥⲃεχε *merces ejus*, a ⲃεχε *merces*, *stipendium*, Theb. ⲃεⲕε, mutato χ in ⲕ, ut in ⲕⲗⲟⲙ pro χⲗⲟⲙ *corona*, ⲕω pro χω *ponere*, *sinere*, *dimittere*, aliisque plurimis. Quod autem hoc loco ⲃⲩⲕⲏ Tukius habet, meram barbariem censeo.

Ⲛⲉⲙⲁϥ *cum eo*, a ⲛⲉⲙ *cum*, ⲛⲉⲙⲏⲓ, ⲛⲉⲙⲁⲕ etc., *mecum*, *tecum*, ut ⲛⲏⲓ, ⲛⲁⲕ etc. Saidicus omisso ⲉ duplicat consonam ⲛⲙ̀ⲙⲁϥ.

Ⲟⲩⲟϩ *et*, cognatum verbi ⲟⲩⲁϩ *addere*. In Saidico ⲁⲩⲱ pro ⲟⲩⲟϩ origo vocis obscurata.

Ⲡⲓϩⲱⲃ *opus*, interdum *negotium*, *res*. Saidicus habet ⲡⲉϥϩⲱⲃ *opus ejus*, ut Arabs عمله, quo secundo indicio in contextu adeo brevi conjicere licet interpretationem Isaiae Thebaidicam ab Arabica ductam esse, postquam sermo Arabicus in Thebaide notior Graeco esse coepit, haud ante octavum seculum; nisi malumus Arabicam de Saidica factam.

Ⲙⲡⲉϥⲙ̀ⲑⲟ ⲉ̀ⲃⲟⲗ *in conspectu ejus*. Dixi de ⲛ̀ⲑⲟ, atque ⲙ̀ⲑⲟ pro ⲛ̀ⲧϩⲟ ab ϩⲟ *facies*. Sed hic addendum adhiberi ⲙ̀ⲑⲟ tamquam nomen masc. *conspectus*, ⲡⲉⲙⲑⲟ *il cospetto*, inserto ⲉ, quod hujusmodi formis ⲙ̀ⲃⲟⲛ *ira*, ⲙ̀ⲕⲁϩ *afflixio*, ⲙ̀ⲧⲟⲛ *cessatio*, *quies*, ⲛ̀ⲕⲟⲧ *recubitus*, *κοίμησις* etc. praemittitur passim. Sed cum suffixis, ⲡⲁⲙ̀ⲑⲟ, et praeposito ⲛ̀

ad, ⲙ̀ⲡⲁⲙ̀ⲑⲟ *al mio cospetto*, *coram me*, ⲙ̀ⲡⲉⲕⲙ̀ⲑⲟ *coram te* etc.. Additur autem saepius ⲉ̀ⲃⲟⲗ, ⲙ̀ⲡⲉⲙⲑⲟ ⲉ̀ⲃⲟⲗ ⲙ̀ⲫϯ *in conspectu Dei*, quod ⲉ̀ⲃⲟⲗ explicari potest *palam*, ut innumeris aliis locis, ubi redundare videtur. Atque est a ⲃⲟⲗ (ⲃⲉⲗ, ⲃⲏⲗ, ⲃⲱⲗ) *absolvere*, *dimittere*, ⲉ̀ⲃⲟⲗ *foras*, *extra*, *palam*, nempe quo dimissa prodeunt, vel *prorsus*, *absolute*. Saidicus nihil differt, nisi litera ⲧ pro ⲑ, de quâ dictum saepe.

Atque haec pauca de multis; ea tamen, quae qui studiose perlegerit, satis, arbitror, accedet instructus ad libros Aegyptios cum interpretatione conferendos, vel cum textu, quem reddunt, ut inde linguam discat. Satis autem scio fore neminem Hebraice doctum et Graece, qui plura postulet, ut pervideat naturam atque ingenium sermonis Coptici discrepare et procul abscedere ab utroque idiomate Graeco atque Hebraeo, perinde ferme atque haec dissident inter se. Quare hic finem facio. Nec enim quaeram quam recte cl. de Guignes Ae-

gyptium sermonem conferat cum Sinensi, quem juxta equidem cum ignarissimo quoque scio. Nimis ad lapsum lubrica disputatio foret. Et jam vereor, ne vel in his, quae non omnino ignoro, multa perperam a me dicta sint, dum sine duce in adyta ipsa linguae penetrare contendi, ut origines causasque ejus proderem, quibus maxime perspicuum fit eam consistere per se. At si pleraque recte, uti spero, constituta atque illustrata sunt, errata mihi mea aequi ac docti viri facile condonabunt.

Taurini Idibus Maii 1782.





